SABBATUM AQVINATICUM,

A Sole pectorali ſatis Illuſtre.

SEU

SEPTIMA DIES,

in qua iterum atq; iterum requievit, ab omni Opere Suo,

ANGELICUS, & CARMELI DOCTOR,

D. THOMAS AQVINAS,

Ad ſuū, quia Carmeli Curſū, APPLICATUS.

Septem Orationibus, quotannis per totum Studiorū Curſum, ipſo die Solemnitatis Suæ, In Laudem Ejus in publico habitis,

DINUMERATA.

luce Publicâ

PER

FF. CARM: DISC: COLL: CRAC: SS. MICH: & JOSEPH, S. Th. AUDIT.

DONATA.

Anno, quo primus Omnium Motor in Utero Virginis requievit. M. DCC. XV. Die ſeptima Martij.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

IN STEMMA
PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMI
DOMINI.



ASCIA non Lauros, nec Marti cæde Trophæa,
Sed meditare novum, quod TIBI ſurgat Opus.
Condere quid veniat, ſi quæris Sacra BIPENNIS?
ANGELICO THOMÆ, digna ſtruenda Domus.
TARLOVIANA Domus, ſublimibus alta Columnis,
Nominis, & Famæ, Dædalus iſte Labor.
Ergo novam Doctor conſcendas Palladis ÆDEM,
ASCIA quam ſtruxit, Numina Magna beant.

In

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO. D. JOANNI . De CZEKARZOWICE TARŁO,

ECCLESIÆ CATHEDRALIS CRACOVIENSIS ARCHIDIACONO, COLLEGIATÆ SS. OMNIUM DECANO, PRÆPOSITO in CHROBERZ, &c.

DOMINO, MECÆNATI COLENDISSIMO.

IN Tuas tandem eruditâ pennâ involat Manus, ac Oculos, qui hactenus aures Tuas pectusq; occupaverat DIVUS THOMAS AQVINAS, DOCTOR ANGELICUS, & Noster. PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. Consummato gloriosè in MICHAELIS Gargano Olympiorum

Cursu, Victricibus laudum onustus laureis, postquam septimo Mensis, & Cursûs die, ab omni Opere suo cessat, apud Te quiescere tantisper exambit, nusquam forsitan gratiorẽ quietẽ, quàm in sinu reperturus JOANNIS, qui velut Aquila, & splẽdores nativi SOLIS, ingenio Tuo bene expendisti, & velut Præcursor, de Carmeli Deserto in lucem procedenti, Viam tot beneficijs præparâsti. Et ubi si non inter cognatos Tibi Regum Ducumq; Splendores, purpureosq; sanctioris Honoris cultus, collocari debuerat Comes de Aquino Divinissimus? Numeras equidem tot splendida Domûs Tuæ Sidera, quotquot sublimia Honorum decora; accedet tamẽ Gloriæ Tuæ, non postremum ornamentum, si & Solem admiseris Aquinaticum, inter Domesticos Splẽdores, acsi inter Cæli Planetas oriturum. Summum id videbitur, Sole suo, Planetisque gaudere: atq; ideo novum Cælum in terris possidere; hoc tamen Tibi erit proprium; nã ubi THOMAM Aquinaticum ad Tuos Splendores admiseris, velut supremus Jupiter, inter Sidera, Phœbo innixus radiabis. Mereris sanè MECÆNAS Dignissime Tuis Angelicis moribus, ut ad Te veniat Doctor Angelicus. Obligas Tibi tot favoribus Stellatum Carmelum, ut Te Sole suo vestiat, quem tot Sidera, quotquot Virtutes, coronant; quorum

splẽ-

ſplendores ne tegere Infulâ videreris, ultro nuper oblatam reſpuiſti. Accedet etiam & Aquinatico THOMÆ, ſummum decus & gloria, ſi magnus in Terram Legatus, à Tua excipietur Domo, quam tot Numina, quotquot magna TARLOVIORUM Nomina, inhabitant. quā illa ASCIA in ſimilitudinem Pātheonis efformavit, quæ Minervā de cerebro Jovis eduxit, & quidē toties quoties innato, acumine ignavos Regni Joves juvit, conſiliūq; labenti Patriæ ſuppeditavit. Nihil ultimatè deeſſe videbitur, inter hæc Honorum Dignitatūq; Culmina constituto SOLI Aquinatico, ſive enim Cælum, ſive Solis Regiam ſibi dicatam ſuſpirauerit, in Domo Tua reperiet: & quidem ita ſublimibus altam Columnis, ut ad Sereniſſimorum etiam Cælum, ſuâ vaſtitate pertingat. Tantum hîc ille radijs Gloriæ ſuæ in Orbis partes ſeſe extendet, quantum ſe Veſtra Fama extendit, nec pulchriùs in Cælo inter Sidera, ac inter Veſtra lumina, radiabit. Ita ſanè nihil Tu nō tanto Doctore dignum geris; ut jam mirari non debeas, ſi ultro ipſemet Te inveſtiget. Et certe, Tu ipſemet quodamodo Doctorem Carmeli manuducere, invitareq; ad Te tot collatis in Carmelum beneficijs videbaris, quibus tantum Tibi devinctum ejus Studium reliquiſti, ut nec quidem Doctorem ſuum exciperes. De-

 betur

betur Tibi Carmelus, debetur & Doctor ejus. Nota sunt Tua limina ad Veneratione Carmelo, nota sint & suo Præceptori. Pande itaq; beneficum pulsanti sinum, & tantisper in oculos manusq; excipe, quem attentis auribus pro Rostris perorantem, toto Cursûs tempore dignatus es. Motrix Intelligentia Angelus, bene in pectore JOANNIS demorabitur, cujus ab antiquo conservus est. Conservum se eidem fecit, dum cadere JOANNEM corã se non permisit. Agnosce hunc Doctorem, quem Virtute & animo induisti. Recipe Solem, cujus Doctrinæ Splendores, in mentem transtulisti. Colossus Solis, Regiam Solis, sublimibus, altam Columnis, concernit. Atlas Christianus, Illustrissimum Cælum Tuũ addecet. Gemma Doctorum, ad tot Pontificũ Infulas, ternaq; Vavelli diademata (quæ Te pulchrè coronãt) relationẽ dicit. Fõs Sapiẽtiæ coronatus, imò & Mare Aquinaticũ desponsatum, Magno Sangvinis Oceano congruit, utpote tot jam beneficijs eidem subarrhatum. Nihil restat, nisi ut hic Vnio, in Gentilitijs Aquinatum Aquis inventus, manus Tuas coronet. Quod ubi fieri permiseris, etiam Carmeli Vota, finemq; Cursûs, optato eventu, coronabis. quod à Te precamur

ILLUSTRISSIMO NOMINI TUO,

Devinctißimi & humillimi Clientes

FF. CARMELITÆ Discalc: Coll: Crac: S. Th. Auditores.

AQVINATICUM
SAPIENTIÆ MARE,
Altitudine miræ ſuæ eruditionis
PROFVNDISSIMVM;
Vaſtitate indeficientis ſuæ doctrinæ
INEXHAUSTUM:
AC
IMPERSCRVTABILE,
totumq; in Orbem
DIFFVSISSIMVM.
à
Devinctis ſibi ab antiquo Navarchis, Carmelitis Diſcalceatis Coll. Crac: protunc Philoſophiæ Auditoribus.

SOLENNI RITU, AC CERIMONIA,
Uſitatoq; Venetis more, dato aquis annulo ſuum Neptunum annuatim ſubharrantibus,
Poſt reſtauratam iterum atq; iterum ſuorum Studiorum Naumachiam,
In primo cum literaria Claſſe Sui acceſſu,
Refluente annua Sollennitatis Suæ die
Præſente florentiſſima digniſſimorum Hoſpitũ Coronâ
DESPONSATUM.
Anno ab Increato Sapientiæ Oceano Generi humano per Unionē Deſpōſato, 1709. die 7. Mar.

ORATIO.

CUm Philoſophica Carmeli Claſſe, Aquinatica ingreſſurus Flumina, pãgo fædus cũ Aquis. A.S. Bella gerant aliȷ. qui mentem cum menſe Martis ſeqvũtur, ego inter ferreos Martij dies, fædus armorum attendo, non conflictus. Ab aggravata ferri pondere Gradivi dextera, ad æquitatẽ Themidis converto acinacem; Illo tamen non ſcindo partes in litigia, ſed reſcindo; dum & ipſe, tumultuoſus quamvis bellorum Arbiter, in proprio menſe, adverſas diei noctes, verno com-

no componat æquinoctio. Ferus esto ac ferox cornu Martij Aries, conquassandas arietet turres, ast & hic profuso Amaltheæ cornu, faciliùs aureo vellere, quæ vallat pectora, devincet. In cassùm bellorum Classica Neptuno, Classis intimat Martij; paccatiores Aquinatis dum aspirant Undæ, unitis viribus conspirant pro malacia. Quidni profundum doctrinæ Thomisticæ Pelagus, pacis stringatur nexu? si & ipse cruentus Cælestis Sapientiæ Oceanus, inter passionis æstus, vinculatus, non in procellas, sed pro cæli fædere, diffunditur. Sanguinis proprij immersus profluvio, DEI ac Hominum mediator, nè Vir sangvinum cum mansueto insimularetur Propheta, Sponsum agit sangvinum, dispersa quæq; suo sangvine conjuncturus, ceu sponsali annulo. Vix arctius quopiam nexu quàm sangvinis conjunctione firmari poterat; hinc & Regali purpurascẽtia sangvine Aquinatis Flumina, pari ut arbitror vinculo, stringuntur. Suaviores hujusmodi Aquarum nexus sensit & Maritimus Carmelus, totoq; quamvis diffusis Orbe, Aquinaticis irriguus Stillicidijs, abluitur, non obruitur. Securi, Tuis in Aquis vela damus ventis, licet in Abyssum Nominis incidimus, THOMA Divinissime. Tot ingenia Tuo exhausisti profundo, tot perversa dogmata, Tuis oppressisti fluctibus, tot elatos superbientium mentium montes, Tuo absorbuisti Eurippo. Ast Mons Carmeli, ita Tuis alluitur Aquis, ut tempestuosum etiam āteactum sæculum, paccatum in illis exegerit. Æqua & nunc mente Tuum licet ingredior Æquor, tenuitatis tamen propriæ conscium, trepidare cum Petro, inter consurgentes expedit vortices. At fluctus hi, dum flectuntur in circulos, flexibiliter nostram ad mentem revolvuntur. Evolutam proinde sæculi revolvens orbitam, Orbem hunc sphæralem torqueo in annulum, quo placidum hucusq; Aquinaticum Mare, desponsetur Carmelo. Aderis his Sponsalijs Auditor benevole, utq; obstrictam Aquinatici Maris malaciam experiri valeas in Carmelo, interrumpentia tranquillum verba, sponsalitio annulo consignabis.

Indomitum Elementum aggredior, quod fluidum quidem ac instabile, firmum tamen suo stat in robore. Constans illius ipsa inconstantia, sic flexibiles ad omnẽ nutum emollit undas, ut in illis ad adversos quosque induresc at impetus. Ad leges tranquillæ pacis mansuescens Pelagus, quòd cariora quæcunq; pignora, securè deportet in carinis, beneficium illius est, non necessitas. Aggravatus Classium copiâ, tam servili obsequio facilè pro libito terga subtrahit Oceanus, occiduntq; suo pondere onerariæ, dum onerant aquas. Ferreas Hellesponti catenas Xerxis moliatur audacia, vincula hæc mollioribus subibit in lymphis, flexuosis irretita vorticibus. Frustra & Eolia ventorum caterva, disijcere vel exsiccare vastum æquor aggreditur, ad violentos quosq; turbinis incursus, non frangitur freti potentia, verùm inter salientes fluctus, Salum victrici salit & exultat tripudio. Liquidis elevatæ montibus, assurgunt magis in trophæa, quo impetuntur aquæ, superatosque adversantium tempestaturæ conatus, sinuosos fluctuum orbes, triumphales flectunt in arcus. Libertinus aquarum genius, refugit duriori cohiberi fræno, cui tanto cum impetu obluctatur. Mollius hoc Elementum, faventibus non nisi deliniri assuetum est favonijs, suaviori proinde vinciri aut potius devinciri nexu exposcit. Hoc stratagemate clementiam Maris sibi obstringunt

gunt Venetiæ, & nõ tam Leonis sui rugitu exterrere nititur Adriaticum, quàm potiùs amico fædere, demulcet. Domare Pelagus quia non prævalent ferro, auro devincunt Veneti, annuaq; pompâ, dato Aquis annulo, desponsant. Hinc libertatem suam in lubrico quamvis, stabilem retinet, dum illis ipsemet fœderatur Neptunus. Pari aquarum inundantiâ, ab Aquinatico Æquore circumdatus Carmelus, totus Thomisticæ doctrinæ innatans Pelago expressit Venetias; parem proinde desponsandi Æquoris modum, non mirùm, quod usurpet. Vincere Aquinaticam Thetim, nec audet nec prævalet; indomitus quippe Aquarum genius communis est & Aquinati; inquo faciliùs catenatus spectatur Phœbus quàm Aquæ. Cecidit naufragus, quisquis contra Aquisatis Flumina insurrexit: adeò ut & ipsa Ecclesiæ Argo, pestifera quæq; errorum monstra, Thomisticis obruat Fluentis. Certat ramen Tecum Carmelus Aquinas Dignissime, sed obsequio. At tenuia hæc, pondus Tui favoris nõ adæquant; gemmiferis proinde Tuis in Aquis permittes piscari uniones, quibus arctius Tuæ doctrinæ nectatur. Desponsando Mari Aquinatico, quò convenietiorẽ tribuam Annullum, illum de suprema Regum Siciliæ Signatura desumo; ut in sigillari Regum Annulo quondam Aquinatis inclusa Flumina, nunc Regium annulum in se claudant. Annulus in signũ Principatuum plurimis oblatus Proceribus, Regum prosapiæ insertum THOMAM insignire debuerat; hunc ille quia de coronata Majorum sorum recepit dextera, obsignari gentilitiæ Carmeli Coronæ, ultro elegit. Nec aliter Regio sangvine purpurascentes Aquæ desponsari paterentur, quàm Majestate Paranympha. Proprium hoc Principum munus desponsandi Maria, etiam Siciliæ Principibus concessum nunc novimus, è quorum diademate, sua THOMAS evolvens principia, vinciri nativum permittit Æquor, sed Coronâ. Æquè namq; Cidaris Regum ac annulus, vinculum proprio exhibent in circulo: nectitq; affinitate fortiùs Regius Sangvis, quoscunq; tangit Tam arcto nexu Regiæ propagini adjunctus THOMAS, de serenissima Prosapia optatam traxit serenitatem, nil procellosum gentilitijs præsagientibus Aquis, quibus in Occasu serenissimi Siciliæ Soles, murice suo rubuerant. Curis tamen in Curia, turbisq; inter turbas disturbari refugiens, solitaria recurrit ad antra; Solitudini Carmeli novo prolusurus fædere, dum silvis innectitur. Prophetico sponsandus Ordini, Prophetico impellitur spiritu; ab Eremita Bono nomine, prædictus, cùm vel tunc sinuosos fluctus suos, Eremicolis Carmeli insinuat. Placidam auram Divinò afflante spiritu receperat THOMAS, Unitatis ille assertor, nexûsq; Divinæ Triadis. Vincula & hìc nectit occulta, quando Thomisticas fertur super Aquas Ad Divini Pneumatis præsentiam, stabilitum inter aquas & aridam fædus, iterum innovatur; & hìc siquidem siccæ Telluri Aquinaticum subharratur Pelagus in Rocca Sicca prædictum. Prophetico delinitum spiritu, Aquinaticum Æquor, jam & in populari comitatu Landulphi, fædus pacatis conservavit in Fluctibus; ne DEI dono ex ethymo Parentis suæ turbulentis obstreperet Aquis. Benè Theodora DEI donum expressit in Nomine, pacatum Orbi Aquinatem gentilitijs enixa in fluminibus; cicurandis namq; in Aquis, speciale Numinis munus agnoscitur. Stupet Lucina ad erumpentes primos vitæ spiritus, lucidas Aquinatis non

turbari

turbari Aquas. Miratur aquarum Præses, ad incrementa, vel decrementa inconstātis sui Splendoris, stabiles Aquinatis Fluctus, etiam inter balneares ardores, non exæstuare procellis. At displiceat hæc malacia turbulentis Siderib⁹, dum arridet Carmeli Astris, securo indicio Aquinaticum Oceanum, & Eliano Fonti sociandum, si balneis datus, exiguo thermarum latici, conjungitur. Fœderatum Aquinatem quidni hæc astra præsagiant? dum Stellæ Maris (Mariam loquor) spectant intimè unitam. Non arbitror Fratribus MARIÆ minùs addictum THOMAM, dum & ipsam MARIAM, in scripta schedula totis sibi præcordijs adstrinxit. Virgineo expanso velo pro carbasis, tranquillum Aquinatica spoponderant Flumina: minimè jam ventorum exagitata procellis, volatili etiam folio, sive schedula, in THOMÆ visceribus qniescente. Expers fluctuantis fomitis turbulenti expers peccati MARIA, pacatas in Aquinate experta est Undas; sufficiens vel sola suavitate dulcedinis commotos lenire fluctus, quæ ad fædus pacis, Numinis cum homine adtraxerat DEUM. Immensitas hæc Divina, inexhaustus sapientiæ Oceanus, naturæ humanæ subharratus per Virginem; par est stabiliendo Aquarum fæderi; vinculum proinde aliud desponsando Aquinatico Æquori ne quærite; Unio hypostatica in Mari gratiarum reperta, nexus est, infinitè dissita conjungens extrema DEUM nempe & hominem. Fascijs infantilibus assvefacto, Vincula ejusmodi arriserunt THOMÆ, hinc Nuntium fæderū, de Angelicis labijs in chartulam diffusum proprio admovit ori; quatenus Pacis ac Justitiæ osculum, salutatione VIRGINIS mediante terris impressum, simili medio redundaret & in Aquas. Lautiùs Cleopatræ luxu epulari gestijt Aquinas, gemmantibus oculis à gemitu, cælestem in Maria extorquens gemmam: in vim tam sumptuosi obsonij, ut se obstrictū recognosceret, ipsam Virginem pectori adstrinxit pro arrhabone. Annuli enimverò in illa adverterat pretium, cui Divini VERBI Unionem, per Angelicum Ave inclusum, nativas trahere destinavit ad Aquas, in illas transfusurus illud vinculum, quo sibi Divinus Spiritus Virginem in sponsam obstrinxerat. Ergo Aquinatica sponsari Maria nemo ambigat, in quibus clauditur Sponsa MARIA. Hinc erat, quòd talis Sponsæ cordi suo arctiùs conjuncta, Virgineo illius THOMAS vinciri cupit Serto: florem assecutus ætatis, floridæ Rosarū DOMINICI Coronæ, insertus. Aram sponsionis suæ ut ad aram sanctiori firmaret proposito, Sacro Prædicatorum sese adjunxit Cætui, Religiosis voti DEO sponsatus in Victimam. Apposuit & incentiva flagrantis animi, quibus ejusmodi Victima cremaretur; debita quoq; sponsalijs non destitutus Hymenæi tæda, in locum cujus Hymnifer Dominici, Gusmanicam facem succendit. Tædium tamen oculis fumosa ne excitaret tæda, tali fumo caruit prædicatoria facula; candicantibus flammis suis, solum illustrando Orbi cum ardore instillans splendorem. Inter adeo adversa ignis & aquæ Elementa, devictam contrarietatis naturam, suo Aquinas effecit in stemmate; hinc & in Elianam Romphæam facilè nativas inclinabit Aquas, quando illas Gusmanicæ faci coadunat. Permittet & splēdidissimū Phœbū sociari Carmeli astris, Sibi addictū Dominici Sidus, secutus pro Phosphoro. Alijs equidem desponsati tantum, Vobis Prædicatores sacri subjecti etiam Maris hujus dominium tribuit

Aqui-

Aquinas, cui non aliud quàm illuſtre DOMINICI prædominatur Aſtrum. Intra Religioſa ſepta Veſtra indomitum quamvis jam ad modeſtiæ leges manſveſcit Elementum, ſecurè proinde Gentilitius Veſter Catellus, vaſtum hunc intret Oceanum, enataturus facilè ad longinquas Gentes, cũ lumine veræ Fidei. Verùm tranquillitas tanta ligamentis Religioſis obſtricta, non placuit Aquinatibus. inquietus nempè Aquarum genius ferre illam in germano Sanguine non potuit; malitiam reputans Aquinatis malatiam. Claſſiũ tumultuoſis aſſuefacti Claſſicis THOMÆ Fratres, ſubitò ſævientibus irruunt procellis; ac in exiguo Aquinatem collectum fonticulo, obruunt. Vidiſſes tum perire Aquas in Aquis! nã velut exeſtuans Pelagus in pacatum ſinum, ſic Aquinates in Aquinatem irruere; factam DEO ſponſionem in rumperent. At inani vento agitati hi turbines, in caſſum iêre, eſto Caſtro Joannis manciparunt THOMAM; potiùs ſibi debitum tunc moliebantur carcerem, ex quo pacem ac ſecuritatem publicam turbaverunt, publicis in ſemitis. Nexus Aquinatis, carceris anguſtijs arctatur non diſſolvitur. Immò oblatum Caſtro quia ultro recepit præſentiam, firmiùs roboratur Caſtrenſibus Actis. Spirantibus Nominis ſui Gratijs, arcet Joannes in hac arce procellas ab aquis, in quod Joannes ſuum exonerat Eridanum, non tam Cælo illatum, quàm adunantem terras Cælis, Cælumq; terris. Fruſtra ſorti THOMÆ invident Sorores, deſponſati Maris hujus annulum ſpectare mundum ſuum ad muliebrem forſitan arbitratæ: at unionem illius nõ de Margaritis mundi, ſed mundi cordis candor Aquinatis teſtatur. Unionis ejuſmodi pretio allectæ Aquinatis Sorores, valorem ejus libẽti amplectuntur animo; & quem in THOMA rumpere intenderant Aquarum nexum, perfectiori firmarunt propoſito, ipſæ quoq; Sponſæ CHRISTI effectæ. Sangvinis propinqui nexu, nil contra Aquinatis fœdus prævalente, fœdum eruitur intentum, deſponſato illius Mari, alia ſubordinantur ſponſalia, ſed Pronubo Plutone. Aſtu Matris Fratrumq; victo, æſtum Maris Cypridis ignibus inurere Aquinati Stygia aggreditur Erinnys. Verùm THOMAS turbidum ſpumantis Pelagi, dum Gẽtilitijs excluſit ab Aquis, & ipſam è ſpuma Maris productam Deam, è limine Caſtri eliminavit. Sedata hac tempeſtate alto ſopore, quievit Aquinaticum Mare, Angelicis perflatum Spiritibus. Et nè roboratum in Caſtro fœdus, exortis debilitari cenſeretur turbinibus, præcingitur Tæniá, Angelica obſtrictus vitta, pro Annulo. Sic ipſis Cælis devinctus Aquinas, Arcis devicit præſidia; fracta Aquarum ſuarum facie, à rigido Matris Fratrumq; animo, rigentibus Caſtri mænibus, ceu Alpibus ſuperatis, conjuratus hic in vitiorum perniciem Annibal, Romam properat, repleturus annulis Romanorum non jam modios, ſed medios nativos fluctus. Una non contentus, tot in Orbis Metropoli Urbe obvios habet Annulos, quot Equites Romanos. Præ omnibus tamen magis illi arriſerat Annulus Piſcatoris; ut pote Inquilinum Aquarum à Mari Tiberiadis, ad Tiberim vocatus inſigniens. Apoſtolicũ & THOMAS cum vitta ſecutus munus, capiendæ ſuis in Aquis prædæ, non aliam requirit ſagenam, niſi qua ſubharratur Sponſo ſuo Eccleſia. Sponſatos in fide PETRI Naviculæ jam accommodaverat fluctus, illorum indigenam, dum ſe Divinus Alcyon fecerat, certam tranquillita-

tem ſpopondit. Aliud quidpiam Divinus SPIRITUS inſpirare Aquinati non poterat, præter pacem, nunciam pacis Columbam exteriori aſſumēs pro ſpecie. Hinc tranquillitatis pro ſigno Gallica THOMAS expetit Lilia, nè vel ad ſponſaliorum pompam, debiti deeſſent flores. Non caruit congruis Neptuno victimis, bove muto in holocauſtum aſſumpto, quem ut olim æmulatores deorum Romani Principes, ad placandum Pelagus, ſic nunc æmuli THOMÆ Aquis Ejus inijciunt. Hoſtia hæc ab hoſtibus Aquinaticis inventa, muta extitit, ut pote & mactata & ſponſalitio obſignata annulo. Circulis Scholaſticis inſertus THOMAS, nodis difficultatum innodatus, ipſam etiam lingvam ſigillo ſecreti, obſtrixit, ut & in labijs annuli ſignáturam præferret. Mutus & ſi, loquacem tamen de ſe provocavit famam, tot Summorum Pontificum celebratus Oraculis. Aſt ſumma Elogia hæc, quia in præſentiarū dato Aquis annulo, inſeruntur, ea conſervo ſub ſigillo. Blandis Principum verbis, Aquæ placari ſolitæ, poſt Magni Præceptoris Panegyrim, poſt Maximorum Præſulum Encomia, Divinum quoq; Verbum provocarunt: Benè ſcripſiſti de Me. Verbis fuſis ad THOMAM, Scripta illius demulcet ſapientia Cœleſtis, maximè quia pendens in Cruce illo non eſt deſtituta Cruore, quo effuſo ſibi Eccleſiam in ſponſam ſubharraverat. Divinum Benè, DEO Aquinatis Scripta obſtrinxit, aggredi proinde illa terrenis labijs non audeo, Abyſſum in illis profundæ ſapientiæ eſto fæderatam teneam, ſcrutari non præſumo, nè evolutis involvar immenſis THOMÆ Voluminibus. Vos veri Sapientiæ amatores Philoſophi, Vos Divinæ altitudinis indagatores Theologi, Altum Oceani hujus jam devincti conſcendite. Securitatem Vobis ſpondent Supremi Eccleſiæ Navarchi, illorum judicio inconſtantis doctrinæ non fluctuabitis aurâ, ſed & in fluido Elemento ſolidæ veritatis portum, recto attingentis tramite. Sat Vobis pacificum Mare in Gentilitijs THOMÆ Aquis indicavit Gregorius, à quo pro pacificandis Eccleſiæ negotijs, ad Concilium Lugdunenſe deſtinatus eſt. Illa tamen Purpuratorum Eccleſiæ Patrum ambiri non ambiens Coronâ, ad vitæ Coronidem properavit; ipſi tandem æternitati conjunctus, cujus ſymbolum tantùm ſphærico in annulo fuerat adeptus. Stabilita Aquarum fædera, nec violenta mortis ſeparatio violavit; utq; in obitu Aquinas deſponſatum ſuum propalaret Æquor, Sponſæ aſſumit voces, explanatis Canticis. Foſſæ novæ ſvavitate mellifluí Bernardi prægustata, peractis Sponſalijs, ad Agni Nuptias feſtinavit. Indiſſolubili extunc nexu ipſi DEO conjunctus. Tam feliciſſimam unionem æternitatis firmatam circulo, AQUINAS Diviniſſime ſidereus ſpondet Tibi Olympus, hunc æmulatus humilis Carmeli Vertex, pro annulo revolutam annuæ Celebritatis orbitam, Tuas jacit in Aquas, in quibus ſpem ſuam jactat. Ad normam Ægyptiorum, Macedonum, Cæſarum, Argonautarum, placando Mari Tuo opulenta non defert munera, uſitata tamen ad deſponſandum Mare florida pro coronide, exiguos imbellis eloquentiæ nectit flores, rutilantibus etiam Sideribus ſuis, ad Gentilitium Tuum Oceanum inclinatis. Obſtrictum Carmelo Aquinatem eſto audias Humaniſſime Auditor, privatum tamen reſtrictum ad commodum ne credas, namq; diffuſum Orbe AQUINATICUM Mare jam deſponſatum Dixi.

C Q

COLOSSUS SOLIS
Sed non Rhodius,
Quia Sacer,
SOLI SPLENDIDISSIMO,
DIVO THOMÆ
AQVINATI,
DOCTORI ANGELICO,
In facie totius Orbis Literarij
super Gẽtilitium Oceanum
In Triumphalem evolutæ Solemnitatis Plausum,
Ab ijsdem ut supra Carmelitis Discalceatis
ERECTUS.
Anno quo Lapis Angularis in Colossum Solis Orbi universo surrexit 1710.

ORATIO.

NOn Martis, sed Solis dies est, quam hodie agimus AA. Non diem tantummodo, nempe Solem etiam in terris, dum THOMAM Aquinaticum, hodie veneramur. Semel olim non nisi ad convivij mensam, Solem in terris hospitari commentati Poëtæ, nec mirum: qui tænebras adamarunt errorum, ægrè illis fortisan vel semel in terris Sol affulsit. Si adhuc vel semel affulsisse dicendus est, qui vel cum noctuis Atheniensibus, semper ad Solem cæcucierunt. Hospitari quantumvis alibi visus Phæbus, hîc favore THOMÆ, non hospes sed domesticus Titan est; siq; alibi transeunter tantummodo suum cursum peragit, in ejus pectore, perpetuam sibi præfigit stationem. Ergo Marti figat Colossum cum Zeodoro, cui hodie non Solis, sed Martis dies est, mihi verò, quia in Aquinatico pectore dies Solis illuxit, non Martis, sed Solis Colossus in mentem venit, hactenus in totius Orbis literarij facie, Eidem erigendus. Colossus Tibi Solis esto THOMA Divinissime, qui totius Orbis literarij Sol extitisti; non Rhodius tamen, sed Sacer, ex quo tu ipse, Sacer fuisti; nec tàm de frustulis profanis, quàm Tuis de Virtutibus hodiè erigendus. Quare Rhodiam Tibi Machinam ex ridiculis fragmentis non colligo. Cecidit hæc sum-

ptuosa ambitio, quia casura erat; & ne irrideret præcipitem de Cælo Phäetontem jacens in terra Genitor Phœbus, ecce si cecidit in Eridanũ Filius, cecidit inter Maris vortices profundiùs, quamvis æneus Rhodi steterit Pater. Inter duo prodigiosa opera ejus, ivere aliquado naves, & quidem carbasis erectis, ridente Neptuno, quòd Sol in terris non ureret; & factus fuerit madidus ratium in mari Palinurus. Sed hæc Gẽtium prodigia à sacris Trophæis procul sint. Colossum ego Tibi figo THOMA Divinissime; si Solis? certè Solis Justitiæ & Virtutis, non Ænei sed aurei pectoris Viro; non supra Oceani fauces, sed supra Maris Tui Aquinatici profundum, per quod itur ad gloriæ immortalis immẽsum. Quare materiam fabricæ, vel tuas Aquas affunde Sol Aquinatice; haud non in solidum Moles hæc fundi poterit, si Tu in os Oratoris afflues. Nempe, lingvam illius, nè iterum ac si circa Babylonem oberret, opifice Tuâ dexterâ manducas. Non attonitum tantum, nempe attentum etiam Te esse vult, Auditor humanissime, ipsa majestuosa Operis Magnitudo; exterorum Soles, imò octavum Miraculum Orbis curiosiùs vidisti, si hunc Solis Colossum, attentiùs videris.

Augustũ hoc Opus, ipse sibi fuerat THOMAS, qui operari nõ poterat, nisi quod Rhod⁹ ipsa stuperet, majestatẽ Operis retinẽs, etiã in Solis majestate. Molẽ hãc à radice videre si cupis? Siciliã respice; tanta enim Colossi nostri Majestas est, ut hìc etiam, licet à longè, videri possit, Igitur sacra hæc & penè Divina Moles, basim primam tulerat à Basilica Origine, scilicet Comite de Aquino Landulpho, & Matre Theodora. Et certè haud non satis altum, satisq; solidum fundamentum Regale solium nacta, in quo stare consueverunt, qui portant Orbem. Nempe, utræq; nimirum tàm Arragoniæ, quàm Sicilæ Regales Domus, dum arctiùs conveniunt, in summum Cacumen desinunt, ut Colosso Nostro augustam basim sternant. Enimvero magnæ Moli, magnum fundamentum extruendum. & quidem non in molli solo, ast in Solio, ne subtus vili innixa cardini, de facili Mole sua rueret. Aquinaticum hoc radicis fundamentum, & si subaudis, minimè non solidum aliquid suspiceris. Haud non solidum est, cui tanta Moles non mergit, haud non firmum, in quo non corruit noster Colossus, & si frequentibus Siciliæ ignibus, cum terra, quateretur. Et certè aquas etiam duriùs ipso metallo posse solidescere, in Colossumq; sublimiùs diduci, extra prodigium arbitror; si semel verum, quòd Hierapoli, fons Plutonius extra deductus, in formam arcûs lapidescat. Neq; verò alius quàm Comes Landulphus & donum DEI ethymo dicta Theodora, materiam fundamento huic affudisse poterat; haud namq; non magnum miraculorum DEI donum est, quòd tanta Moles Aquinaticis Aquis innatet. Porro si Sacer Noster Colossus? construendo illi, etiam Donum DEI, se se sociare debebat. Appage Rhodij Solis Colossi caput, æneis radijs coronatum! Caput THOMÆ, aurum optimum; ut pote non ære, sed Regali metallo, quia Diademate redimitum. Decuit namq; ne etiam sui radij, suo defuissent Solis Colosso. Quanquam non radij tantum non defuerunt Nostro THOMÆ; nempe nec Sol ipse defuisse poterat, quem ejus pectori, Regales Ceræ accende_rãt; quatenus si Colossus? toto rigore Solis Colossus esset. Et hìc vel Sole pectorali, magnitudo Nostri Colossi metiri potest; haud non magna, haud

non

non ingens, si Solem pectore adæquatè excipit, qui magnitudinem terræ, sex vicibus, super centum sexaginta continet. Quòd si jacens in terris hæc Moles, sidera tangit! quid si pedibus stabit? quid si è cunis Caput eriget? certè haud dubium est, quòd sublimitate sua, Cælos etiam ipsos superabit. Hinc non miror Colossum hunc Eremitam re & Nomine Bonum latere non potuisse, qui illum prædixit nasciturum. Et quomodo namq; latuisset, quantumvis adhuc in utero latens? cùm tam magnus tamq; sublimis ac latus foret, ut deserta quoq; loca impleret. Solem non vidisset quantumvis modestissimus ille Eremita, si hunc Solis Colossum, antecedenter non vidisset. Et miramini AA. tam sublimem tam ingentem Colossi Nostri majestatem, nimirum quòd pectore sidera tangat? minimè mirabimini, (quantumvis Octavum Miraculum dixerim THOMAM) si videritis quantanam Lapidicina, quàm ingens quàm augusta, tanto construendo Operi cessit. Nimirum una eademque & Angulari Lapidi & Nostro THOMÆ Lapidicina communis est; eadem de Materia uterq; Colossus stetit, si & THOMAS ab Uberibus MARIÆ pendet; jamq; pendet, si Illam salutatam, cum chartula sumit. O prodigium! o Opus! o plusquam octavum Orbis miraculum! Infans lactens Matrem suam deglutit, rivus Mare absorbet, radius Solem, athomus montem! Quanquam haud jam athomus est, qui tantum intumescit, ut montes quoq; absumat. Et mirandum ne jam quod THOMAS pectore Cælum contingat? non mirandum, si absumerat Eam ex qua assurrexit Colossus ille, qui adtigit à fine usq; ad finem, fecitq; utraq; nempe, Terram & Cælum, unum. Non mirandum, si THOMAS Colossus est, & quidem Solis Justitiæ & Virtutis Colossus, si Sole amictam in se conclusit. Adeò jam staturam Infantis, staterâ cunarum nè metiamur. Tantillus non est, qui tanta facit, quæ nec quidem stellifer Atlas, extra cunas faceret. Et quidni jam THOMAS securiùs ipso Atlante totum Orbem sustentet? si portat eam, quæ portaverat illum, qui tribus digitis Molem terræ appendit. Molem hanc, profanum Rhodi ne dicatis Colossum: Sacer est. haud non sacer totus, si circa totum laborat Cælum, in una Hypostatica Gemma, totos thesauros expendendo. Quomodo Solis Justitiæ & Virtutis Colossus non dicendus? si circa illum ipsa Mater Solis justitiæ proprijs manibus, imò se ipsa operata. Quinquennis post hac Cassinensibus traditur educandus. Et verò tàm altis MARIÆ nuper cupedijs altus, quidni non cuperet altum? MARIAM in præcordijs portans, quidni abeat in Montana? Iterum hìc Auditor abijt MARIA in Montana, & quidem cum festinatione. Et licèt non jam magnum portans Numen, à magno tamen Nomine THOMÆ, in Montana Cassini deportata; qui cum non posset esse in Matris visceribus, Matrem in sua inclusit viscera, ut ipsi Soli Justitiæ affinis Colossus esset. Joannem in Montanis diceres, dum videres MARIANA Gratiâ plenum ni THOMAM Nostrum opus esset crescere adhuc, illum verò minui, ut nimirum in Colossum toto Orbe condignum excresceret. Et certe haud non crevit altiùs, vel illo Monte auctus; sicq; excrevit brevi, ut ipsum quoq; Altissimum mente jam attingere visus fuerit, cùm quid sit DEUS? in ejusmodi quæstiones sæpenumero prorumperet. Nec hac sublimitate ingenij contentus erat; nempe DEUM quem semel attigerat mente,

 attin-

attingere gestiebat & corpore, quod ut faceret, non pedum tantum Benedictinum, sed Montem quoq; sanctitatis Cassinum, pedibus suis pro gradu ad Cælũ supponebat, illum etiã Virtute occupans locũ, dum corpore non posset. Fuerat in illo Monte, nemo ad DEUM mente elevatior, Fide, Spe, Charitate, nemo ad DEUM erectior; sicut decet erectum esse Solis Colossum. Alijs de nocte recumbentibus, solus ut plurimum vigilaverat THOMAS, quasi quòd Colossus esset, nunquam recumbere, sed semper coram Cælo stare deberet. Præsentiam DEI adeo habebat assiduè, ut dubium sit, an DEUS coutinuò se se ejus præsentandum demittebat oculis, an vero THOMAS tam sublimis Colosus fuerit, ut Caput in Empireo haberet. Et hæc fundamenta ejus in Montibus Sanctis; ampliora qui quærit, Neapolim divertat, nam illò sese THOMAS transfert. Ni meliùs loqui debeam, in tantam jam latitudinem Colossum Nostrum abijsse, ut illam quoq;Regionem, Religioneq; Dominici occupet; quandoquidem & Stellatum DOMINICI in fronte cælum contigerat. Et verò si Principem Astrorum THOMAS suo pectore attigerat, quidni & vertice sidera tangat? Affines nempe Soli stellæ sunt, hinc THOMAS cum Solis esset Colossus, ne & stellarum consequenter non esset, sese inter DOMINICI sidera collocavit. Tantæ amplitudini capiendæ, unus non suffecerat Orbis, verior magnus Alexander, alium sibi vel in Ordine Dominici quærit, hunc namq; ejus Catellus, cum face accensa, in ore præfert. Grande Vobis Prædicatores Sacri, Onus portandum incumbit; Dominicano Atlanti, suus Alcides suffici debuerat THOMAS, ut velut Colossus, hunc Orbem Vobiscum portet. Et certè, magnum hoc Prædicamentum, non alibi quàm inter Vestra prædicamenta poni debuerat. Namq; si THOMAS non Angelicus tantum, sed & Angelus est; Stellato DOMINICI movendo deputari debebat Cælo. Si Sol est? Obeliscus, Columna, aut Solis Justitiæ Colossus? certè cùm Sapientia apud Vos ædificaverit sibi Domum, exciderit q; Columnas septem, hæc etiam octava, quasi Octavum Orbis Miraculum, cæteris jungenda erat; dumq; jungitur, credimus quòd in istis Columnis & Orbis literarius, & Ecclesia, & Cœlum ipsum, ne nos obruat, stabit. Magnæ Moli, magna molimina metuenda. Quo erigimur altiores, eò periculis sistimur propiores. Summa petit livor, perflant altissima Venti; declivia vero, nec quidem mollis movet æther. Enimvero more Turrium homines turgent; quæ quò sublimiores, eò ventis obnoxiores videntur; Nec enim vili tuguriolo sed Arcibus aut Turribus bellicæ machinæ, admoventur Ergo & Nostrum Cælo minantem Colossum, à rebus adversis non videre non possumus oppugnatum. Hostem Auditor si quæris? proprius sangvis est. Mater Bellonam agit, Fratres Matrem, hostem Filius. Eò nocens, quia innocens. Eò invisus quia sublimis, & usq; ad sidera spiritu elevatus. Congressum belli non expecta, hic namq; olim in via dum THOMAS Lutetiam Parisiorum tenderet, factus est. Et nè obrui sese hac Mole crederent Fratres, en illi bellicus aries, vel ipse Agnus Joannis, in Castro admovetur. Sed non hic o Mater Bellonam agas! ubi propugnari non oppugnari tuum Propugnaculum debet! Tuus sangvis est, non hostilis. Si Colossus est, certè Colossus, qui è collo tuo quondam pependit. Si Solis Co-

lis Coloſſus; certè Solis, quem illi tuæ etiam Regales ceræ accenderant. Ut quid ergo ad Solem iſtum cæcutis? vel torvo illum oculo ſpectas? Non ſic Heroicis veterum auſibus inſiſtitur Heroina! Erexit Imperiū Helena, Perſiam Cæſaria, ad fidem deduxit Galliam, Theodelinda, Franciam Clotildis, Hiſpaniam Undecunda, Angliam Margaretha, Poloniam Bamburca, Germaniam Ethebercá; aliæ aliò Religionem intulere, vel pari conſervavere laude, tu ſola hoc in Opere, Religionem DOMINICI, forti ariete impugnas? Crede, crede, totum in te obrues Orbem, ſi hunc everteris, Coloſsū, à cujus Collo totus pendet. Sed parum eſt, Matrem, Fratreſq; THOMÆ, in THOMAM conjuraſſe. accedunt & Sorores, & fortè ſeveriores, quo molliores. Ut plurimum enim magna Molimina, mollibus demolita. Gallus leonem ſuavi accentu terret, mus elephantem, qui nec quidē Tygridem timet. Suavioribus igitur verbis mulcent, ut mulctent THOMAM. Collacrimantur, ut vel guttâ cavent lapidem, quò mundus ſubintret. Dumq; molliores non proſunt favonij, Æolum excitant, in Caſtrumq; Joannis, Coloſſum trudunt, ejus ſtabile propoſitum, vel ſic alliſum, facilè forſitan confracturi. A ſolis nę Fratribus hæc Moles in Caſtro Joannis obſidetur? minimè. Nempe nova, ſed ah quám gravior! vel ipſius Vulcani cuſa manibus, expugnando Coloſſo Noſtro, machina, nempe impudens mulier adhibetur. Vidiſſes tūc AA. in illa Arce, magnā & ſanè inauditam Coloſſi Noſtri obſidionem, quam nec Troja olim vidit, nec Illium ſuccenſum expertum eſt. Vidiſſes in Aquinatico Mari, Thomiſticum Coloſſum, velut ſcopulum quendam, tempeſtati magnæ objectum, haudque leviter à procelloſo ſangvine verberatum. Vidiſſes Auguſtam hanc Machinam, veluti Obeliſcum in aere ſuſpenſum, tot turbinibus, quot undiq; perturbationibus, tot conſpiratis agmine ventis, quot malè inſpiratis mundi perſvaſionibus, vehementer concuſſum, quaſſatum, agitatum! Vidiſſes ad ultimum & dixiſſes Molem Noſtram, veluti Turrim in illa Arce, inauditâ, nam infernali machinâ, immiſericorditer arietatam! Haud namq; non bellicus mihi aries eſt, illa extus tantum in pelle ovis, ſi ſic turpiter fætet; certè Acherontis machina dicenda ſi Moli Noſtræ, talia machinatur. Quid hîc ages o THOMA? hîc Tibi hîc benè ſtandum eſt, ne vel in lubrico cadas. Hîc pectus ſaxeum duris ictibus opponendum. Si Coloſſus es? ſta ut immobile ſaxum; durum duris, gravis Moles mollibus; nec inclinari capax, nec frangi patiens, prorſus ad molles uſus lapis inutilis. Actum cum THOMA crederes, cum hæc videris acta. Demolitam putares Molem cùm hæc audis molimina. Enim verò Caucaſus etiam haud non obrui deberet, ſi in illum, totus mundus rueret. Alpium montes, molle etiam Annibalis acetum, ſenſêre graviter, quamvis ebrietate benè ſopiti eſsēt. Uno halitu aeris, ni vel dicam ſibillo, Memphiticæ Arces, Pyramidesque cecidêre. Et Noſter Coloſſus ad tot ventorum inſultus ſtabit? Audax Gigantum aries, Joves etiam periculo involverat. Et Noſtra Moles ab hac Plutonica Machina ſecura erit? Leo rugiet, quis non pavebit? ſi Hercules accedet, vel Samſon aliquis, & quæ Columnæ, non cum leonibus concident. Maximè ſi hoſtis Acheronta jam movet, Cypridiſq; ignes ſupponit, deſperandum! ne Noſtrum Coloſſum radicitus à funda-

mentis

mentis evellat. Sed mollibus hæc quæ moliuntur adverſarij non Moli Noſtræ metuenda. Moles eſt, non mollis THOMAS. Ex quo Coloſſus ſtat ut imobile ſaxum; Imotus, inconcuſſus, acſi arietatus non fuiſſet. Adamantem hircino cruore faciliùs franges, quàm Noſtrum Thomam, malè Germano ſangvine, inclinabis. Cui ut Solido Coloſſo, potiori jure inſculpi debet, nec frangi capax, nec inclinari utrinq; cùm & arietes tulerit, & mundum fortiter ſuſtulerit, qui totus in una Matre, ruere, cadereq; in THOMAM, videbatur. Atq; hinc, verum concludite Coloſſum THOMAM; quem, ſi totus illabatur Orbis, impavidũ ferient ruinæ. Coloſſus eſt, ex quo adverſis ita altior rebus, ut illis premi non poſſet. Sicq; Coloſſus grandis ac ingens, ut nec moveri quidẽ potuerit, nec à propoſito dimoveri. Licet ſi totus Aquinaticus, haud tamẽ non ſolidiſſimus, cùm nec Cypridis ignibus comburi potuerit, nec liquefieri ejus caloribus. Verè ptecioſus, verè adamantinus Coloſſus, ſi velut duriſſimus lapis, forti mentis robore, Cupidinis ſagittas non receperat tantum, ſed & retuderat etiam, vel accenſo Scipione, ignes ignibus retorquendo. Et verò ſi THOMAS meridionalis Sol eſt? urere debet. Si verò Columna, aut Solis Juſtitiæ Coloſſus? certè ad hanc Columnam, flagitioſa mulier, vel virgâ accenſâ flagellari debebat, ne impunita peccata eant. Noſcat nimirum cognoſcatq; cum mundo inſenſata mulier, THOMAM eſſe ſolius Solis Juſtitiæ & Virtutis Coloſſum, quantumvis aliàs Antiquitas, Lunæ etiam, aut Veneri, ſtatuas ut plurimum erexerit. Tam ſtupendo Operi curioſiùs videndo, ipſi quoq; è Cælo evocantur Angeli; idq; in ſomnis accedunt ad THOMAM, ut meliùs è propinquo videant, cùm in terram tota ſeſe demiſit. Præcingunt THOMAM cingulo, ut vel menſuram Molis tantæ explorent. Haud namq; non immenſa illis viſa eſt, cúm aliàs Corpus etiam proprium exceſſerit: ſic ſenſim creſcens, ut ad Angelicã uſq; Virtutem pertingeret. Ni melius dicere velim, ex quo Coloſſus Noſter, Cœleſte ad Capitolium fuerat tranſportandus, dimenſio hæc explorari debebat, quantũ nam locum; nẽpe ſi non totum Capitolium in Cœlo occuparet? Sed ſubſiſtite o Cælites, nondum totam magnitudinem Molis Noſtræ vidiſtis. Non ſic arcta eſt, quin ſola Arce magni Joannis, arctari poſſit. Quod ſi jam & feneſtras, & caſtrum ipſum aufugiens excedit, quidſi Romæ? quidſi poſtea animo Pariſijs ſteterit? ſpectate, videte, intueamini curioſiùs, ſi non totum Orbem ſuâ gloriâ adimpletura ſit. Habebat Roma, habebant Pariſij, quod in THOMA ſtuperent, poſtquam illius prægrandem animi Molem viderunt. Libenter Noſtrum Coloſſum apud ſe conſervaſſet Roma, ſi capi illâ potuiſſet. Jam namq; ipſam etiam Romam exceſſit THOMAS, poſtquam Pariſios venerat. Igitur Thomas inter Doctores Pariſienſes, ac ſi inter Coloſſos, Coloſſus tener ſtetit; ſed quàm magnus, quàm ingens, quàm ſtupendus Coloſſus ſtetit? vel hinc cognoſci datur, quòd nullus Profeſſor, præterquam Magnus Albertus, ejus capacitatem adæquaret. Si adhuc adæquare dicendus eſt? nam ille Tomos, velut atomos, hic Summam ſcripſit. Quanta hæc, Thomiſtica moles ſit, quàm magna, quàm ingens, quàm ſumma? ipſa Theologica teſtatur Summa. Solem non videt, qui in Operibus THOMÆ, Coloſſum Solis non videt; cùm

aliàs,

aliàs, quælibet paginæ Columna, quidam Coloſſus ſit; tàm altus, tam ſublimis, ut Angelicam quoq; doctrinam attingat. Tam clara tam perſpicua, ut Communi Doctorum judicio, Solem quoq; ſua claritate adæquet. Quidni ergo in Solis Coloſſum THOMAS abeat? ſi tantùm, nempe ut Phœbus, literario Orbi prælucet. In tres partes ſuam diviſit Scientiam, ſed pars non minor toto. Scripſit contra Gentiles, quaſi ſeſe pro DEO murum opponens. Et Coloſſus namq; quandoq; pro muro ſtetit. Catenam ex Patribus cōfecit, acſi illos ſibi concatenare volens, ut major Moles foret. Matthæum comentatus, nec immerito, namq; cùm Angelus foret, munus quoq; proprium ejus attigerat Angeli. Jobum interpretatus, ut conſtaret, quod æquè ſaxeum pectus, ad quæq; adverſa portet. Magiſtrum Sententiarum diſcuſſit, nec mirandum, altior namq; Magiſtro, ex quò Coloſſus fuit. Omne ſane eruditionis genus complexus eſt; ut noſcas quòd THOMAS vel Abyſſus fuerit, vel tanta Moles, ut Enciclopediam, in ſuo pectore capere poſſit. Si caput toti correſpondet corpori, quidni cum Hippocrene Muſarum, vel uno hauſtu totum Ariſtotelis ebiberit Eurippum? cùm aliàs, & Collationes Patrum, vix pro una Collatione ſatis habuerit. Tantum crevit, qui tantum edit; tantum edit, qui de libris tantum edidit, ut vix mole librorum, mundum non obruerit. Namq; cùm in cunis adhuc, libris deglutiendis aſſveviſſet, mirum non eſt, quòd non alia illi magis arriſit menſa, niſi quæ Orbe literario, mappâque mundi, tecta fuiſſet. Convivatur apud Galliæ Regem, & ecce, in illo Orbe, non tam cultro portionem, quam mentis acumine Manichæos revolvit, dividitq; & quaſi verò totos jam illos cōſūpſiſſet THOMAS, eructat, ſed verbum bonum: Concluſum eſt contra Manichæos; nam omnes fermè illos in illo fruſtullo deglutierat. Sanè non Pigmæus ſed Gigas eſt, qui tantum edit; Coloſſus & quidem infinitæ extenſionis, non ſimplex ſtatua nuncupandus, qui ſe tantum diſtendit, ut abſentes quoq; à longè tangat. Mutus quidem Bos ab aliquibus appellatus eſt THOMAS, nec mirandum, Coloſſus namq; primo intuitu, mutæ Memnonis ſtatuæ ſimilis eſt; ſed & hæc loquitur, ſi illā Sol attingat. Nempè magnæ arbores diu creſcunt, ſed ut in Columnam Eccleſiæ abeant; frondes verò licèt citiores videntur, ex illis tamen nec tricubitalis Mercurius, elaborari poteſt. Bos iſte, ſi ſiluit? ruminavit, quænam poſthac digna toto Orbe boaret. Et verò cùm ingentis Molis Thomiſticus Coloſſus fuiſſet, non præcoci Pegaſo, ſed laborioſo Bove, procul & de ultimis finibus duci, conduciq; debuerat, ut tandem ingenti ſumptu, in facie totius Orbis literarij, tantus Coloſſus ſtaret. Quanquam dubito, ſi movendæ, vel ad indignationem commovendæ, unus Bos exprobratus ſufficere poterit. Stabit, nec primis ut puto, movebitur motibus, qui in fundamento Virtutis, Coloſſus, & quidem Solis Juſtitiæ Coloſſus, ſatis ſolidè ſtetit. Rhodi Statua, quantumvis infinities minor fuerit, nongentos Camelos metallo ſuo oneravit; & Noſtram Molem vel unus bos exprobratus, à Virtutis fundamento evellet? minimè. Svaderem verò ſimilibus Bovis iſtius Architectis, cautè, vel non ultra, Coloſſum hunc movere; nam ſi ceciderit, vel commotus fuerit, conquaſſabit capita multorum, nec erit forſitan, qui Oneri tanto reſiſtat. Pigmæi Giganti, Parides Achilli, Ulyſ-

ses Ajaci, Nani Colosso, nunquam ad invidiam insultabunt. Senserunt hoc onus Molis Nostræ, Thomistici, imò & Ecclesiæ hostes, sensit Aornus, Lutherus, Calvinus, Zwinglinus, aliaq; Erebi monstra; sicq; sensere graviter, ut nec quidem sub illo sese movere possint; quantumvis aliàs in suæ chartæ facie, ejusq; capite, hucusq; vivant. En tota bucca clamat Bucerus, tolle THOMAM, & dissipabo Ecclesiam; nec mirum, & quidni non clamaret? si tantum illius pondus sensit. Sed quantumvis ad clamorem ipsius & ipse Infernus veniat, nec portæ quidem Inferi prævalere poterunt adversus Ecclesiam, vel Nostrum THOMAM, postquam tam solidè ad normam Petræ stetit. Atq; vel hinc firmitas robúrque Aquinatici Colossi constet, si tota Moles Ecclesiæ in illo firmiter jacet; utq; & magnitudo illius pateat, ipsa Veritas, quæ nec falli nec fallere potest, non palmo, aut digitto, sed ambabus in Cruce extensis manibus, eandem emensa est. BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. Nec alia quàm infinitâ mensurâ, hæc Moles mensurari poterat, quæ ferme infinitæ extensionis est. Nam quamvis Infinitum secundum extensionem in Physicis dari negaverit THOMAS, puto hoc facto suo, refutavit. Hoc igitur CHRISTI elogio sibi insculpto, plura capere nequit; nec enim tam magnus inventus est sculpellus, qui sublimitatem illius attingat, quam nec quidem oculus videre potest; cùm tantæ sublimitatis extiterit Noster Colossus, ut nec quidem Summus Pontifex ejus capiti superimponere Neapolitanam Tiaram potuisset, quam ultro THOMAS respuerat. Ab hac proinde Mole in vili mentis tabella sculpenda, supersedit & meum ingenij acumen, quod satis curtum, satisq; habes est. Corrumpit quisquis Unioni ab arte colorem addit. Minuit Colossum, quisquis eum etiam in magna tabula sculpit. Proinde & Noster Thomisticus Colossus, vestris in oculis pulchrior majorq; seipso stabit. Stabit vestris in oculis, & quidem in totius Orbis literarij facie stabit Colossus; quem ipsa Cœlestis Sapientia adinvenit, Virtus sculpsit, THOMAS sibi ipsi fecit, Patientia expolivit, Perseverantia coronavit. Stabit Solis Colossus in quo Sol ipse Justitiæ, stetit, nec movebatur contra Gabaon, donec THOMAS vinceret. Stabit inquã, & quidẽ pulchriùs duab⁹ Herculeis Columnis Colossus stabit; in quo veriùs, Honori immortali legitur insculptum, non plus ultra. Nec enim plus ultra honor extendi potest. Sed quomodo stare putamus Colossum Nostrum? qui motus Lugdunum, en jam in Fossã Novã an veriùs in veterem tumulũ cadit. E heu! o Casus! o adversa fortuna! o Fata! Siccine cæca extitistis? ut in Nostrum quoque Colossum, ac si in lapidem, cæco impetu irrueretis? siccine in altum assurgere potuistis adversus THOMAM, ut sublimitatem quoque Molis illius attingeretis? Ipsis etiam saxis, lapidibusque jam censemini à modo duriora, si hunc Colossum tàm firmum confregistis! Crimen nefandum admisistis o fata! quod infensarum Universi Ætatum diu exprobrabunt odia. Unam quidem evertistis Molem, sed non unius, nempe omnium Nostrum, vota, spesq; publicas, illi appensas collisistis. Scribimus & nos contra vos, vel in hoc Marmore læsi. Sed cadere ne etiam fatis concussus poterat THOMAS? qui etiam post fata, Colossus, & quidem Solis Justitiæ & Virtutis Colossus stat; cunctisq; adhuc eminet, Solemque adhuc attingit, imo à Capite excedit, quem suum ad

pectus habet. Minimè cecidit ſi adhuc illius Gloria ſtat. Corruere quantumvis viſus non cecidit in terram, nempè ſolummodo fundamẽtum ſibi, Foſſæ Novæ effodit, quatenus firmiùs ſtet. Et verò cecidiſſe ne, vel corruiſſe credendus eſt? qui animo ferme adamantino, heroicè mortem ipſam excepit; utq; conſtaret quòd illam vicit, Cantica infirmus explanando, triumphos canit. Vel ſi cecidit, cecidit, ſed non caſu, vel fortuito, ſed ſponte & fortunatè caſûs ſtratagemmate uſus, ut ſurſum altiùs ſurgat. Nempe ſummis non datur progredi ſurſum, niſi priùs ſeſe demittant; cùm aliàs omnem locum antea occupaverint. Si ſe demittit Noſter Coloſſus, culmine ſuo jam ſidera tranſcendit. Si cecidit corpore, ſtat adhuc mente, ſtat animo, ſtat Virtute, ſtabilisq; ſemper inconfractus. Vel ſi ingentibus meritis confringi illum concedamus? Deſijt quidem in fragmenta Corporis, ſed animi virtute & gloriæ robore auguſtiùs ſupèr ſidera iuit, hæc Auguſta. Nempè Coloſſus Magnitudinem ſuam etiam in puteo ſervabit. Corruit Rhodi Machina, & adhuc indices Gigante majores, indicant, quòd fuerit Coloſſus. Licèt ſi totus deſineret THOMAS, ſi vel digitus illius ſtaret, quo ſcripſit Sũmam, Coloſſus ſtaret. Quid ſi totus adhuc ſuperſtes ſuo funeri THOMAS? concludite mecum, quòd Aquinas, Doctor Angelicus, ſtatim ac natus, in totius Orbis literarij facie, Coloſſus inconfractus, & quidem Solis Juſtitiæ & Virtutis Coloſſus ſtetit. Dixi.

ALCIDES CHRISTIANVS,

Cælũ Solis pectore erudito

SVSTENTANS:

tot Monſtrorum, quotquot errorum, triũphis,

CLARUS,

imbecillis Eloquentiæ floribus, pro laureis victricibus,

à devincto ſibi CARMELO,

In MICHAELIS GARGANO;

CORONATUS.

Anno quo Alcides Cæleſtis Miſericordiæ brachio Orbem cadentem ſublevavit 1711.

ORATIO.

AQuinaticum videre THOMAM, in ejuſq; auguſto pectore Solem, novum quidem, ſed & rarum ſpectaculum eſt. A. S. Et quis unquam aſtra in Tellure atra conſpexit? vel centrum eorum, in humo collocavit? Non alia ſedes,

 præ-

præterquam Cælum Aſtris ex natura debetur, quæ velut mundi lampades omnibus ad nutum prælucentes, affinxit in ſublimi Author Naturæ, proculq; ab aquis, ne illa extinguerent, in Cælo collocavit. An THOMAS Turris Pharia eſt? & ſic cunctis velut Pharos, Sole ſuo prælucet, quicunq; pro aureo Sapientiæ vellere, ad diviniorem Colchidem per ejus Oceanum enavigant? Quis peto loco Lampadis, Solem collo ejus appendit? Quis Darius aureo torque Solem hunc captivavit? Quis Joſue in ſuo pectoris centro, ac ſi in Cælo, ſtare & non moveri amplius Phœbum hunc fecit? An iterum Phaëton, Solis inquam Filius, cum Quadrigis ſuis in terram cecidit? & ſic in Eridano Aquinatico pænas ſuas diluit? Quis hic eſt Atlas, tàm altus tuam ſublimis, ut Capite ſidera feriat? Cælumq; pectore portet? Et certè facilè ego quo ad hanc partem Atlanti veteri ſubſcripſiſſem, THOMAMQVE eidem hodie comparaſſem, niſi hoc privilegium, vel ex eo demeruiſſet, quòd olim ſub tam illuſtri pondere defeciſſet, quantumvis aliàs in ſomnis non niſi Pöetarum, & nuſquam in vigilia molē hanc bajulaſſet; cùm tamen THOMAS Noſter, ita gloriosè Cælum iſtud ſuſtentet, ut non immerito indefatigabilem Alcidam repræſentet. Et jure merito, pridem enimvero nos erraticis ſideribus Atlantis Cœlum obruiſſet, niſi Chriſtianus Alcides THOMAS, in ſuos humeros hoc Onus cum Sole excepiſſet. Talem eum anteactus Orbis vidit, talis etiam Veſtrum in conſpectum hodie prodit, talemq; & mea imbellis ſuada Eundem hodie celebrabit. Cujus Herculeos labores, partoſq; gloriosè triumphos ubi videritis, THOMAM Alcidem Chriſtianum, tot Domitorem Monſtrorum, quotquot errorum, imbellis eloquentiæ floribus, non immerito coronati debere concludetis. Favebis benevola aure peroranti pro Domo ſua Oratori, Auditor ſapientiſſime. Nova novi Herculis prodigia ſtupebundus, videbis ſi illi intentos oculos tantiſper non denegabis.

Sive Genus Aquinatis ſatis illuſtre, ſive Virtutes prodigiaq; ſatis miranda, in argumentum vocabimus, THOMAM Noſtrum, ſtatim à Cunis novum Herculem, novorum Domitorem Monſtrorum, facilè concludemus. Immò nondum ex utero Theodoræ exivit, & jam Monſtra terruit; quando non alio (ut puto) motivo cum Bono Nomine Eremita in deſertum Oraculis de Se fuſis divertit, niſi ut Clavam contra illa inde ſumpſiſſet, pelleretq; in lucem ex umbris ſilvæ, ſi quæ fortè præ timore illius ad nemus confugerant Quanquam Regali etiam Clavâ carere non potuit Noſter Hercules, quam illi Regius Siciliæ, Arragoniæq; Sangvis, Landulpho de Aquino, Theodoræq; Parenti ejus, ab antiquo cognatus, in Sceptro obtulerat. Et certè ex tàm illuſtri Genere decuerat Noſtrum Herculem naſci, ut conſtaret qualis virtutis, quantæq; indolis eſſet. Fortes namq; creantur fortibus, nec imbellem Aquilæ ptogenerant columbam. Ex Regibus etiam ſuum Sangvinem decuit eundem derivare; nè deterior veterano Alcida eſſet, qui ſuum genus ex Jove jactat. Haud namque non Joves quidam terrarum, Principes Orbis ſunt, qui inſtar Numinum terris naſcuntur, & à cūctis veluti Dij adorantur. Unde patet, quod ſtatim ex Cunis Hercules fuerit THOMAS, cùm Genere ita illuſtris appareret, ut meritò Alcides Cæli Solis ſuſtentans, vocari poſſet. Unum tamen deeſſe videbatur in lucem

fuſo

fuso THOMÆ, quòd nimirum careret serpentibus in Cunis, quos more Herculis, Pusio discerperet. Quid igitur? ergone hâc in parte deterior Hercule erit? Minimè. Ut simile Herculeæ virtutis statim in Cunis specimen daret, folium Salutatione MARIANA inscriptum, dari sibi postulat, in quo serpentem Virgineo calcaneo insidiantem vidit. Quid agis Pusio? ergone serpentem hunc venenosum non times? Num ignoras quod ille Parentes primos vicit, etiamsi cum pomo herbam illis porrexit. Itane in viribus Tuis multum confidis, ut etiam Orcum ipsum in hoc serpente aggredi velis? Crede mihi crede o THOMA, supra id vires creatas est, eum velle vincere, à quo rarus non victus est. Solus sibi Divinus Alcides id reservavit, qui consultò de Cælo propter eum descendit. Quod si illum viceris, plusquam mihi Hercules eris. Quid ad hæc THOMAS? plorat: & quidem hucusq; plorat, quousque divinior Juno (MARIAM loquor) serpentem hunc, sub pedibus suis degentem, in Cunas ejus cum schedula non immitat, quem vix manibus arripuerat; protinus cum chartula compressit, hocq; compresso, solâ MARIAM, quasi iterato ab hoste liberatam, in pectus transmisit suum; profundèq; servavit. O Novum Herculem millenis Coronis in cunis dignum! O Infantem non tàm fascijs quàm fascibus laureisq; cingendum! Nondum pugnare didicit, & jam vincere novit. Nondum benè palmam extendit, & jam palmas reportat. Adhuc serpere per terram nescit, & jam serpentes, & quidem serpentes inferni tollit. Quid Ille in posterum non faciet, si tantis prodijs à fascijs assvescit. Hydrã Ille maturior contemnet Cerberumq; inferni, si in Cunis Colubrũ hunc perstringit. Cavete vobis, cavete quæq; errorũ Monstra cavete! En novus Hercules in mundum venit, qui vos prosternet. Si ab illo Serpente incipit, per quem primus novissimusq; error in mundum venit, nil Ille immundum patietur, prope est, ut vos etiam aggrediatur, ac penitus sufferat. Et quis enimverò illi resistere poterit? si ille per THOMAM victus, qui sibi quondam Orbem terrarum subjugavit. MARIAM Ille suis in visceribus portat, & quis contra hunc Herculem prævalebit? Si MARIA pro ipso, quis contra ipsum? Vultis scire quid causæ fuit, quod compresso serpente MARIAM absumpserit? ut Illam sibi incorporaret, hacque ratione cunctis Ecclesiæ Hostibus, ut Castrorum acies ordinata, terribilis fieret. Facilè Ille, quæq; Monstra prosternet, si Illam pro se habet, quæ sola cunctas Hæreses, interemit. En in fascijs Alcidem, novo Leone, quia de tribu Juda Leonis exuvijs, indutum. En Achillem medullis Leonum pastum. En Samsonem, favo mellis de Leonis ore refectum, proximè columnas Hæresum confracturum. En Pelei filium à diviniori Thetide quia à MARIA lavatum, immortalem vel inde evasurum. Et quid mirum quòd in Christianum Herculem adoleverit THOMAS, Hercules esse debuit, quem nobilior Alcemena (MARIAM dico) velut Achillem medullis Leonis pavit. Leonem Ille cum chartula illa intus induit, & quidni Herculem in bello præsentaret. Si medullis Leonis vivit, Oceanumq; MARIANUM uno haustu epotat, videbitis in qvantum ille Virum exerescet. Age, age Aquinas Divinissime, Monstrisq; edomandis assvesce, nullum Tibi venenum nocere poterit, postqvam Tibi antidotum MARIA propinavit. Ergo ulteriùs vel in Mon-

tem Caſſini, quinquēnis perge; quòcūq; veneris, ubiq; Hercules eris, quia nullibi non Monſtra reperies, quæ proſternere debeas. Occurre Herculi Noſtro Caſſinenſis Montis Olympe occurre, Ille ad Te quinquennis venit, qui Virum in pueritia refert; Ille Tibi traditur inſtruendus, qui Te poſt hac inſtruet, dum totius mundi Magnus Magiſter erit. Dirige Illum, ipſe poſtea ab ipſo dirigende; à vitiorum Monſtris defende, ipſe poſteà ab Hydris Hæreſum defendende. Magnus Hercules eſt, Montem iſtum conſcendat, ex colleque virtutis, ipſa ſidera tangat; ac velut Alcides, Cælum ipſum ſuſtentet. Concede illi Montem Virtutis Tuæ, ut Novus Hercules, in novo Olympo, nova quia virtutis Olympia, decurrat. Magnum Orbis Atlantem in Patriarcha Veſtro miratus Orbis, ab illo diſcat, quomodo Monſtris errorum ac vitiorum contravenire poſſit. Si Clavâ indiguerit, utique Benedicti Scipio pro Clava erit, virtus ejus, pro face, qua Hæreſum Hydras exuret ac penitus extingvet. A vitiorum Monſtris incipiat, antequam ad Hæreſum Hydras edomādas procedat. Roſæ Benedicti priùs illum coronent, antequam ad laureas veniat. Spinæ Herculeam Virtutem exerceant, antequam ardua fortem animum probent. Non modicum enimvero Virtutis calcar præferunt Benedictinæ Spinæ, in illis ſeſe volutet neceſſe eſt, quisquis & parvū mundum, & ipſum Orcum debellare intendit. Creverat jam in majorem ætatem THOMAS, ut & in virtutem creſceret, quinquennis Caſſinenſibus traditur educandus. ſi ad educundum tradi dicendus eſt? qui quamvis puer ætate eſſet, omnes jam virtute ſuperabat; dignuſq; erat, qui alios doceret. Videre erat Noſtrū Herculē ſua Olympia in illo Olympo auſpicātē, & jam veteranis militibus, Laurū Palmaq; præripiētē. Modo tyronē incipientem, & jam maturos CHRISTI Athletas, à longè excedētem. Nondum vitiorum Monſtra noſcentem, & jam per oppoſitas virtutes illa aggredientem, immo penitus ſuffocantem. Nullus erat, quem ad ſingulare certamen Noſter Hercules non provocaret, quemcunq; in aliqua virtute eminere advertit. Unde quamvis ætate minor eſſet, nulli non æqualis eſſe virtute contendebat. Spinis quidem Benedictinis illud ſtadium inſtructum erat, ſed virtus Herculea, quæq; ardua facilè triumphabat. Hoſtis quidem tunc deerat THOMÆ, ſed hoſtem ſibimetipſi ſeipſum faciebat. Nempe corpus ſuum pro hoſte ſtatuit, ut exploraret, quid valeant humeri, quid ferre recuſent? an nimirum tam fortis eſſet, ut ſeipſum vincere poſſet. Et juremeritò, nemo enim ita alteri quàm ſibi ipſi hoſtis eſt: Nemo ita alteri, quàm ſibi nocet, dum ſibi parcit; quāvis aliàs rarus ſit, qui ſuam carnem odio habuerit. Unde ut hunc hoſtem vinceret, bellum THOMAS contra ſe movit; dum nullam unquam quietem membris indulſit, quominus carnem ſpiritui ſubjugaret. Corpus cilicio domabat, ut illud edomaret; diſciplinas plerumq; adhibebat, ut diſciplinatum redderet; compedibus conſtringebat, ut ſui compos foret. Ut audacior eſſet, timore Domini carnem propriam configebat; ut robuſtior, cibum eidem ſubtrahebat. Vigilijs orationiq; continuò vacabat, ut Orator eximius evaderet. Nudis genibus in marmore flectebat, ut mundum ſub pedibus haberet; hacq; ratione Victor illius eſſet. Dum de DEO loquitur Puer, conſummatum Theologum diceres: dum de Virtutibus, Ethicum: dum de Exſtaſibus, novum, quia ſupra

quæq;

quæq; creata Metaphysicum. Pulcher visu, decorusq; aspectu erat, quia non sine virtutis forma. Gratiosus omnibus, quia non sine gratia. omnibus charus, quia non absq; Charitate. Fidus & sincerus singulis, quia non sine fide. Si Morales numerares virtutes, moram longam traheres, nec tamen ex parte aliqua easdem dinumerares. Verbo, tractatum de Virtutibus in seipso expressit, cum nulla virtute careret, quam non quilibet in THOMA legere ac discere posset. Unde cùm de Virtutibus in Virtutes in dies proficeret THOMAS, quid mirum quòd in Herculem, hoc est, Domitorem errorum ac vitiorum excresceret; nunquam magis, quàm sic armatus, suis hostibus reverendus. Diu tamen hoc in Olympo commorari non poterat Noster Alcides, quem Dominicanus Neapolim vocabat Atlas. Antequam tamẽ se ipsi jũxit, priùs Hippocrenem Neapolitanum prægustare voluit, quem non tam Pegasus, quàm suus Eqvus excusserat. Ergo pedem á pedo Benedicti extullit, ut post tyrocinium, Virtutis, Studiorum stadia decurreret. Progressa obviam venienti Neapolis; Magistrum in adolescente venerata, quem discipulum excipere debuerat. Nec immeritò, dum enimverò auream oris ejus catenam vidit, Herculem extunc esse agnovit, & quidem illum Herculem, qui errorum Monstra, ut Alcides Cerberũ, propriâ catenâ alligaturus erat. Libenter eum ille Apollo apud se detinuisset, ni ut Alcidam Cælo DOMINICI Stellato, suffici opus fuisset. Ergo assurge Tuo Alcidæ Ordo Prædicatorum laudatissime assurge, hic ad Te venit, per quem major Tua Gloria surget: hic tuam portam pulsat, cui post hac Orbis universus portas triumphales eriget: hic Tuam ingreditur Religionem, per quem in totum Orbem Vestra egredietur Religio. Aperite portas Principes vestras, ut ingrediatur Princeps gloriæ. Triumphales erigite Colossos, Triumphatori futuro, locumq; vel inter sidera Herculi non negate. Induite eum indumento justitiæ, ipsi postea exuvijs gloriæ ab ipso induendi. Habitu Religionis investite, ipsi postea Sole pectorali ab ipso vestiendi. Decet Herculem vel inter DOMINICI sidera collocari, Alcidam Atlanti suo suffici. Alcides est, ergo Vobiscum hunc Orbem portet, quem DOMINICI Catellus cum face præfert. Hercules Vos Gallicanos quis non dixerit? à quorum ore, velut aureo torque totus Orbis dependet. Ergo torquatum etiam suscipite Herculem, ut Vos hac in parte adjuvet. Clavâ ille eruditæ pennæ non caret, quod si & face in Hydram eguerit, DOMINICI Catellus eandem mutuabit. Quanquam & Catellus DOMINICI illi pernecessarius est, ut vel suo acutiori olfactu, Monstra Hæresum velut feras inquirat, hacq; in parte Herculem juvet Recepit Stellatum DOMINICI Cælum suum Alcidã, dum Prædicatorum Ordo Aquinaticũ recepit THOMAM. Diceres iterum Alcidam Atlanti suo suffectum, dum THOMAM astrifero DOMINICO videres sociatum. Haud enimvero non Atlas mihi hic Patriarcha est, dum stellam in fronte portat. Cælum mihi videtur humeris ejus lacertosis innixum, præclarus illius Ordo, tot sideribus illustre, quod luminibus plenum; cùm aliàs & Auroram DOMINICUM habeat, & Sole Aquinatico præditum sit. Gratulor Tibi Prædicatorum Ordo, Alcidam hunc Divinissimum. Illustris luminũ Patria es, quidni Alcida hoc egeas, ut illi securè inniti possis. Nihil Tu humile, quia nihil terrenum sapis, quæ supra montes sanctitate emines. Tot

 quidem

quidem magnis luminibus, quot Cardinalibus, Sumisq; Ponticibus gaudes, ast non parum splendoris, & ex THOMA habebis, dum Tuo Cælo, novum Solem invehes. Puto tantam molem Splendorum, Tuum Patriarcham, fronte propria capere minimè suffecisse, nisi illum novus Alcides adjuvaret; qui dum lacertosos humeros, tam illustri Moli supponit, credite, quod Vestra Gloria, æternùm stabit. Fælicem Te THOMA Divinissime inter hæc Astra relatum reputarem, ni hoc ipso obnoxium Gigantibus discerem. Hercules es, quidni in Gigantes impingas? cum quibus hactenus etsi invitus luctari debes. Vis scire quos appello Gigantes? Antæum & Geryonem, Fratres inquam tuos germanos, ex imperio Matris, viam tibi Lutetiam Parisiorum, studiorum causâ misso, præoccupantes, ad Castrumq; Joannis ligatum perducentes. Sed quid facitis o Aquinates? nunquid Prædones estis? quòd in publica via THOMAM Nostrum, et quidem innocentem ligatis? An quia Hercules virtute THOMAS, ideo Gigantum more in eum irruitis? Nunquid THOMAM germanum Vestrum, ignoratis? An Herculeam ejus Virtutem probare vultis? Si talis sit, qui duobus etiam resistere valeret? Quid agis o Theodora! ut quid THOMAM ligari jubes? Nunquid natum tuum ignoras? Filius est, non hostis THOMAS. Sangvis Tuus, & non aqua, Aquinas. Ut quid illum carceri mandas? An illius Herculeam Virtutem times? Nunquid altera Juno es, quòd Nostrum Herculem odio persequaris, Monstrisq; novis opponas? An Gallicanum Herculem putas, ideoq; illum tali torque circumdas? Non tali torque Ille donari debet, qui Te suis leureis donat; nec carceris Capitolio celebrari, qui sic gloriosè triumphat. At verò quid tale proficit nefas Theodora? Herculem carceri mandas, quid proficies? quem per hæc adversa, ad quæq; ardua meliùs exercebis. Fortior ille ad quæq; adversa ferenda erit, si hunc carcerem forti animo sustulerit. Quid nubes Soli nocet? qui post nubila claruis lucet. aut arbori ventus? quam si incursaverit, solidiùs in terra figet. Meliùs est aurum, quod jam ignis probavit; pulchrior gladius, quem virtus militis expolivit. Non omnis mergitur navis, quam fluctus quatiunt; nec quælibet corruit turris, & si in illam venti coniuraverint. Adamantem ferire malleo potes, non item frangere, Herculem probare, non reprobore. Major animo Noster Alcides est, quàm ut illum hæc adversa tangere possint; fortior quàm ut illis succumbat. Si totus illabatur Orbis, impavidum ferient ruinæ. Si Illū probare vel tentare contendis? Hercules est, dum sese vinci non timet: Alcides Divinissim⁹, si nec oneri tāto succūbit. Nullibi liberior, quàm dū agit pro spiritûs libertate, nunquam gloriosior, quàm cùm certat pro DEI gloria. Vocaliùs Orbem implevit ferrearum sonitu catenarum, quàm si aureæ personassent; nam mulcere illæ aures natæ, non animos. Quòdsi ligari sese permisit, vinctus tantum non victus est; temeritatem vestram tantummodo dissimulat, non totaliter Vobis sese subijcit. In tātum enim stringi sese compedibus permisit, ut probaret, quid valeant humeri, quid ferre recusent: an scilicet etiam in carcere triumphare valeret? qui jam totum mundum sub pedibus habebat. Veniet namq; tempus, cum effractâ fenestrâ, Victor Hercules cum triumpho exibit. Parum est Matrem, Fratresq; THOMÆ, velut Gigantes, cum

ſua Junone, in Noſtrum Herculem conſpiraſſe, accedunt & ſorores, ne ſuo Herculi, ſuæ deeſſent æmulæ Amazones. Eheu THOMA! ſeviſti hactenus in Parentes pia impietate, ſævire ulteriùs debes pluſquam Hercules, quia in duas Sorores. Vidit tunc illa ætas, novam rerum æſtatem, binas nempe ſorores, Fratrem vindicantes, ubi olim bini Fratres, ſuam vindicarunt Helenam. Sed neque illæ Virgines, Noſtram Voraginem, an THOMISTICAM Abyſſum abſorbere poterant; dum quæ vaſtare illū venerant, unam illarum effecit veſtalem. O Stupor! vinctus THOMAS, majores in animos jacit compedes. An non jam Hercules eſt? qui etiam in ſororibus triumphat Amazones. Tædio virtutis abſumpto, nova iterum puriſſimis oculis ad THOMAM ducitur tæda, quam gurges extingvat Aquinaticus. Nempe gravior Novercâ in THOMAM Mater, cùm nihil compedibus in THOMA profeciſſet, veluti Juno, ad Monſtra proceſſit, ut ijſdem Filium, à propoſito deterreret. Niſi hoc ipſo in offam Inferno THOMAM dare dicenda eſſet cùm non qualecunq; Monſtrum, ſed Monſtrum infernale, cujus oculi, quaſi quidam ſcopuli, os, magnum chaos, pedes cerberi, ungves draconis, cauda ſerpentis, lingva jaſpidis, nempe mulierem effrontem ad carcerem introduxiſſet. Ah infortunium! Ah ſcena obſcæna ab Orbe condito forſitan inaudita? Innocentia à nocentibus ad infernum damnatur, pudicitia in rogum Veneris deſtinatur, Hercules vinctus, Monſtro devorandus traditur. Quid facis o Mater! ergone Filium devorari permittis? Itane ipſam innocentiam ad infernum condemnas? magiſq; devorari à Monſtris, quàm videre Filium malis? O Matrem Novercâ graviorem! o affectum Parentis, odio Junonis deteriorem! Quæ eſt hæc Mater, quæ ideo Filium genuit, ut haberet, in quod ſævire poſſet? Crede mi crede o Theodora, pluſquam Proſerpinæ odium, hic Tuus affectus eſt, tali nec Juno quidem, Alcmenæ Filium proſecuta, quantumvis ſtatim à cunis illi inſidias ſtruxiſſet, Monſtriſq; illum horrendis objeſſet. Solus Crocodilus ſic hominem daplorat, ſicut tu Filium defles, nec eſt per quod ab illo diſcernaris, quandoquidem ad beſtias Natum Tuum condemnas. Heus THOMA quid faciemus! Regius Sangvis es? informi noli ſervire formæ. Hercules es, à turpi non ſine devinci Monſtro. Quid facies illæſe Aquinatce pudor? fugere hanc laſciviam tentas, præterquā quòd Herculem non decet, carcer etiam non permittit. Aggredi hoc Monſtrum, non unus etiam caſus diſſuadet; nullus enim ita cum Veneris Monſtro certavit, ut non prior caderet. Illicienti reſiſtis voluptati? quot molles geſtus, tot pedicas non evitabis. Os claudis? per oculos aditum reſerabis. Obvelas oculos? non videbis inſidias quomodo cades. Manum ſi extendas, palmam porrigis, nec habes modum, quo illi reſiſtas. Crede mihi o THOMA! gravis Tibi hic hoſtis eſt, Numinibus quoq; timendus, nec Jovi ipſi Cælorum terrarumq; potenti, evitandus. Si Jupiter ipſe in lubrico iſto cecidit, & quis ſecurus ſtabit? Sed alijs hæc non Noſtro THOMÆ ſunt timenda. Nempe Monſtra nunquam ſuo Herculi nocuêre. Nunquam enimverò veteranus Alcides ita glorioſus fuiſſet, ni illum Juno, Monſtris immiſſis, à Cunis ſtatim exercuiſſet. Neq; Aquinati Noſtro, Monſtra nocere poterunt, in quo ſuum Herculem repererunt. In tantum enim infernus hæc Monſtra nutrit, ut habeat

Noſter Alcides, quo ſuam virtutem occupare valeat. Si illa in Noſtrũ THOMAM mittit? mittit, non ut iterum dimittat, ſed ut clavâ ſuâ proſternat. Scitis quid immiſſo inferni Monſtro Noſter Hercules fecit? titionem arripuit, foco accendit, collo oculisq; ejus admovit, & velut Hydram, totam in capite aduſſit. O novum Herculem! millenis triumphis celebrandum, univerſiq; Orbis Theatro dignum! qui ſe vel ideo vinciri permiſit, ut vinceret. Latitavit in obſcuro carceris per biennium, ut Hydra iſta incautè in ſuum Herculem impingeret, hacq; arte periret. Vidiſtiſnè aliquãdo talẽ Victorẽ, qui uno ictu, & Hydrã & Mõſtra Orbis vicit, imo totũ infernũ profligavit. En in Thoma eũ habetis. Unum quidem hoſtem proſtravit, aſt in hoc hoſte, novus Hercules, & Nemeum Leonem, & Antæum Gigantem, & Geryonem tricorporem, Centauros, Cervaſq; aëripedes, totumq; inſuper cum Monſtris Orcum, perſtrinxit, proſtravit, ac glorioſè debellavit. Ubi es o Torris gemmis adamantibusq; adornande, ipſâ Herculis Clavâ longè altiùs præferende? tantumnè in Monſtra valueras, ut utrumq; nempe & facis & Clavæ munus obires? Deijcite de Cælo Clavam ſuperi, & THOMÆ Torrem in locum illius inter ſidera collocate; dignus enim iſto honore hic Torris eſt, quo THOMAS tam glorioſè vicit, Hydram aduſſit, trophæumque immortale meruit. Si ſplendore Empyreum egebit, ſolem ille accendet, ipſoq; meridie clariùs in Cælo rutilabit. Cane fama, ſi quid artis aut ſpiritus habes. Triumphales in plauſus THOMÆ, inſuffla tubas, en novum Orbis victorem habes. Habes in magno THOMA, Magnum terrotem Orbis Alexandrum, in Aquinate Herculem, in Comite de Landulpho, magnum Jovis Filium, Alcidam meum Diviniſſimum. Habes magnum Alexandrum, qui totum mundum, quia ſe ipſum in carne vicit. Fortior enim qui ſe, quàm qui fortiſſima Mænia vincit. Habes Herculem, qui Lerneam Hydram proſtravit, habes Alcidam, qui totum Orbem, cum Matre, Fratribus, Sororibusque in ſe ruentem, ita fortiter tulit, ut in lubrico etiam cadere non potuerit, quod illi conſultò, Sangvis malevolus inſtruxit. Adeſte è Cælo Angeli, & novo Victori congratulantes applaudite. Balteo Illum donate, Veſtriſq; Coronis coronate. Dignus ille hoc præmio Cœleſti eſt, qui pro Vobis certavit, ſuiſq; laureis Veſtrã Virtutẽ coronavit. Omnes in THOMA viciſtis, ergo omnes cum eo triumphate. Gratulor Tibi Victor Diviniſſime, Laurum hanc triumphalem. Gratulor triumphum totius Orbis Theatro dignum, nunquam ſufficienter tota æternitate celebrandum. Io triumphe! Hercules glorioſiſſime. Glorioſè viciſti, Hydram proſtraviſti, Junonem in Matre eluſiſti, Gigantes cum Amazonibus in Fratribus Sororibuſq; debellaſti, ex carceris reſidentia, Capitolium triumphale erexiſti; nihil ultra reſtat, niſi ut Te Orbis coronet, Triumphiſq; Tuis applaudat. Quid igitur in obſcuro moraris & non potiùs Orbi Te manifeſtas? Ut quid Te Arx iſta arctat? quem jam totus Orbis non capit. Egredere igitur egredere de Carceris Capitolio Alcides Diviniſſime, egredere in lucem, non ſine gloriæ luce, videat Te Orbis quod fueris Alcides. Non decet Victorem Monſtrorum in cavea latere. Indecorum Herculem à Monſtris feriari. Tot adhuc Tibi Monſtra ſuperſunt, quotquot errores in mundo ſerpunt: viciſti Monſtra vitiorum, neceſſe eſt, ut vincas & errorum. An non magnum Monſtrum Hæreſis

est? An non Monstrum & quidem horrendum Monstrum Lutherus, Calvinus, Bucerus, Zvinglinus. Omnia hæc Erebi Monstra, Clavam Tuam expectant, ut antequam nascantur, per Te Herculem cadant. In tantum enim hæc Monstra infernus nutrit, ut Te per ruinamq; ipsorum sublimiùs extollat. In tantum suo tempore in Orbem mittet, ut Tui calami stylo confossa cadant, triumphisq; novis Tuum Nomen augeant. Hercules es, ergo hanc Hydram pluribus capitibus colubrisq; præditam vincere debes; ad hoc enim è Cœlo cum face pectoris in mundum immundum missus es, ut illam calamo Tuo confoderes, capitaq; pullulantia adureres, Mundũq; à mendis liberares. Quapropter si Doctor Gentium es? demitte Te vel per murum in sporta. Si Sol Doctorum? quacunq; carceris rimâ diffundi ad extra potes. Si demum Hescules aut Samson aliquis? compedes rumpe, fores vel fenestram effringe, & victor vade; quodsi feceris ex novo prodigio, novus Hercules agnosceris. Fecit sic Divinissimus THOMAS, compedes rupit, carceremq; effregit; idq; per fenestram exivit, ut vel saltando plausus sibi faceret. Nempe illâ fenestrâ erixe debuerat, qua commodo Orbis, in obsuro latitans benè prospexerat. Ne tamen victor plausu Capitolio què suo careret, Romam imprimis, post hæc Parisios venerat; sed cum quanto plausu venerat, vel inde constat, quòd libenter sese pedibus ejus substraverit Roma, quantumvis aliàs totius Orbis Caput esset. Libenter apud se tantum Victorem conservasset, ni Magnus Albertus, veluti magnes, ferreum, quia in arduis constantem THOMAM, ad se traxisset. Laureis victricibus coronasset, ni sibi magnus Professor, id munus reservasset. Difficile dictu, quomodo vix THOMAS Parisios venerat, Monstra illum exhorruerint. Monstrum erat illud Magni Alberti arte elaboratum Caput, quod Nostrum Herculem salutavit; hoc tamen vel invitum facere debuerat, cùm suum Harculem ex primo aspectu exhorruerit. Putabat se miserum vel inde gratiam inventurum, suæque integritati consulturum, haud tamen invenit, dum in pedem THOMÆ offendit. Monstrum erat, perire ab Hercule debuerat. Pede perijt, quòd pedibus careret. Indignum Clavâ Herculis erat, cùm non haberet manum, qua illam exciperet. Nunquam ut suppono, in pedem Alcidæ impegisset, si potiùs pedibus, non lingvâ discurrisset. Cùm enim & cerebro careret, nescivit miserum, quomodo condignè tantum Victorem salutaret. Quantus ille! quem Monstra quoq; salutant. Nempe supra etiam Professorem proprium Aquinas est, dum Magistri caput corrigit. Idq; pede illud conculcat, ut pateret, quòd non capite tantum, sed pede etiam altior Magistro esset. Triginta quidem annorum Opus in momento destruxit, sed dissimulandum eidem, qui in momento mille similia, facturus erat. Tot namq; similia Capita non absq; prodigio fecisse credendus THOMAS, quotquot Capita in Summa scripsit; cùm nullum sit, quòd non Oraculum præferat. Sed non hìc adhuc prodigiorum triumphorumq; Nostri Alcidæ finis. Nempe quòquo se vertit, semper Monstra obvia habet; & quidem faciliùs à se vincenda, quàm à me cum sua clade describenda. Nec immeritò, ex quo enim omnes ut Herculem THOMAM exceperunt, Monstra illi ultro opponunt, partim ut cumulent laurus illius, partim ut virtutem ejus explorent.

 Unde

Unde venit, quòd & Condiſcipulorum turba, Alcidæ Noſtro prægrande Monſtrum, quia per áëra volantē Bovem, opponerent. Quid eſt ô Cōdiſcipuli THOMÆ? non pridē ad Vos Hoſpes deſiderat⁹ venit, & jam illum cornuto bove veſtrum improperium pungit. Quid Vobis Bos iſte fecit? numquid aliquem cornuto argumento arietavit? quòd ideo ipſum ſub Clavam Herculis damnet? Scio quidem Minois Taurum ſub Herculis Clavam à Neptuno damnatum, non tamen ſine cauſa: furorem enim in eum Numen iſtud immiſit, quia non condignam ſuo Nomine victimam vidit. Procul id tamen à Bove iſto, qui & victimam Aquinatico Nomini condignam præfert, & furorem non ſapit; Solas Hæreſes arietare animal natum, ut jam ex parte patet. Ut quid ergo ſub Clavam illum Noſtri Alcidæ deſtinatis? An ideo facitis, ut Herculis Noſtri virtutem exploretis? ſcitote, qui Hydram vicit & Bovi objecto non ſuccumbet. Si Thebanus Alcides Minois Taurum, in humeris vivum portavit, & Noſter Hercules libenter eundem feret. Quodſi jam exuvias ejus induit, id fecit, ut vel hac arte, Monſtra errorum terreat, proculque ea, ex arena veſtra releget. Quanquam & hoc ſcire Vos volo: vitulos vos debere fore, cùm THOMAS Bovem exceſſerit. Qui enim Bos hodie, extra Apocalypſim etiā, cras Herub erit; & quidem ille Herub, qui juxta Ezechielem cum Aquila currum Cæleſtem traxit, in quo ſe Sapientia vexit. Et certè vix hæc Oracula fudi, rem jam probat eventus: non Bovem enim, ſed hominem etiam, THOMAS excedere viſus, cùm Doctor laureatus, Cathedram Bononienſem ingreſſus, ita egregiè eruditum calamum movit, ut ſupra Cælos, nempe ad DEUM ipſum evolaret. Dignus propterea, quem ipſi Angeli ſuum receperunt Doctorem, qui ſupra etiam Angelos eluctatus, ita arcana DEI comprehendit, ut ipſas etiam Cæli intelligentias, edocere valeret. Præceptor quidem Angelorum reipſa fuit, ſed Herculis muneri magis ſeſe impendit, cùm nullum elabi permiſerit momentum, quin ſe in Monſtris edomandis nō occuparet. O boni Superi! quid Ille clauſus in cella non fecit, ut Monſtris errorum omni ex parte, viam præcluderet. Quomodo non laboravit, ne mendis mundus laboraret. Legebat continuò coronatus laureâ Doctor, ut relegaret. Die ac nocte ſuper libro ſedebat, ne illa aſſurgerent. Vigilabat, ne evigilarent. Inſomnes ducebat noctes, ut Solem ſibi ad pectus accendiſſet hacq; ratione haberet facem, quâ illa concremaret. Cibus ejus non alius fuit, præterquam ille, quem ſal Doctorum aſperſit; potus, quem Fons Caſtalius indulſit; ſomnus, quē Atticæ noctes dedêre; lectus, quem Muſæ ipſæ ſtravêre; converſatio, quam vix dij quondam in Pantheone congregati, habere potuêre. Verbo, ſive vigilabat, ſive dormiebat, nihil magis, quàm Chymæras Hæreſum, Hircocervosq; larvatos, ſomniabat, quos poſt hac in vigilia perſtringeret. Sive bibebat, ſive manducabat, nihil magis, quàm extinctionem illorū ſitiebat; & quidem taliter ſitiebat, ut inter etiam Regales epulas exclamaret: Concluſum eſt contra Manichæos; quaſi verò non tam Regijs dapibus, quàm Eccleſiæ hoſtibus, appetitum nutriret, gratiorq; portio eſſet, quæ mentem, quàm quæ ventrem Doctoris, ſubijſſet. O eſuriem! non tam orbibus, quàm toto Orbe proponendam! O ſitim! nullo ſatis cratere, præterquam Hippocrene Muſarum, vel docto ſudore

extin-

extingvendam! Videte Theologi, quàm docta Doctoris Nostri mensa est; non ventrem illa, sed mentem nutrit, nec tam corpus, quàm animũ perficit. Et quid mirum, quòd THOMAS dapibus Regalibus Manichæos immisceat? benè jam assati, immo & cocti ab illo erant, hinc est quod mensam THOMÆ concernebant. Pridem jam THOMAS Hæresum Monstra, inter nemora Academica, doctrinæ retibus, velut feras insaccaverat; quod habebat, hoc Regi ex docta venatione, offerebat. Cavete vobis cavete Gentiles, Ariani, aliaq; Erebi Monstra cavete, verè jam Vorago vestri Abyssus THOMÆ est, quod uni Hæresi fecit, idem Vos manet. Si Manichæos absentes etiam, illo cultello scindit, & in partes dividit, quid & vobis non faciet? in quos pridem animum, calamũque exacuerat. Sensit non unus Nostrum Herculem Ecclesiæ hostis, sensit Lutherus, Calvinus, Bucerus, Zvinglinus, aliæq; Hæresum Hydræ, sicq; sensêre graviter ut præcari cogantur: Tolle THOMAM, & dissipabo Ecclesiam. Quotquot enim verba illius calamus scripsit, tot verbera hosti impressit; hebetari nescius, donec omnes configeret. Et quid mirum, quod tantum contra hæc larvata Monstra unus valuit THOMAS? Cœlum ipsum pro Hercule Nostro pugnavit, quidni illos vinceret. Solem Ille ac si alter Josue in sui pectoris detinet Cœlo, & adhuc ad nutum non triumpharet? Vultis scire quos Cõmilitones habuit THOMAS? PETRUM & PAULUM, probatissimos scilicet CHRISTI Militum Duces; & adhuc contra hos personatos Gabaonitas non prævaleret. Unus gladium alter illi clavim concessit, ut nimirum haberet, quo suum calamum exacuisset, aditumq; ad quæq; ardua, vel PETRI clavibus reserasset: si forte fuerant in loca abdita fugitura. Quanquam & DEUS ipse Nostri Herculis partes in hac arena tenuisse dicendus; quàm benè enim ei subscripsit, Oraculo suo ostendit: BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. Si DEUS pro THOMA, quis contra THOMAM? Semper enim gloriosè pugnavit, quisquis cõmilitonem DEUM ipsum habuit. Parum tamen est, quod THOMAS suos & DEI hostes vicit, etiam seipsum ad Crucifixi pedes prostravit, ut sic major surgeret. O Victorem omni applausu dignum! O Herculem non solis laureis, sed FLORE Nazareno coronandum! Vidistine Herculem non Monstra tantùm, sed Cœlum ipsum vel clade propria expugnantem? Si hactenus nec audistis, en in THOMA Nostro, ad pedes Crucifixi prostrato, cum habetis: qui vel ideò sponte in terram cadit, ut fortior resurgat, hocq; stratagemate Cælum ipsum expugnet. Parum est quòd Magnus Alexander Darium vicit, eũq; cum tota domo in bello captivavit. Major jam Alexandro Aquinas Noster est, dum Regem Regum, propria clade cum Cælo expugnavit. Vultis scire quomodo expugnavit? En Cruci affixus, ultro ipse deditionem petit, multa bona in vim spoliorum promittit, optionem liberam dando, quidquid sibi præelegerit: Quidvis pro laboribus THOMA. Quid ad hæc THOMAS? nihil volo nisi Te. O Victorẽ nõ minus fortẽ, quàm prudentẽ! qui ut vincere scivit, sic & eligere non ignoravit. Nõ errasti Victor Divinissime non errâsti, dum tale bonum Tiaræ Neapolitanæ prætulisti, temporalesq; honores æternis commutasti; pulchriùs Te Corona ista cinget, quàm si millenæ Infulæ coronarent. Quid putatis Auditores? an non benè rerum pretia novit, si ipsum

DEUM in statera Crucis ita benè expendit. Multùm laboravit, non mi-
randum, quòd multam Coronam dari sibi voluit. Hercules fuit, quid-
ni in Herculeas Columnas, Lapis sibi Angularis cederet. Subsistite ab
opere Mortales: Columnis Herculeis THOMAS Noster non eget: In va-
nũ circa triũphales Columnas laboram⁹, si illas THOMÆ in Trophæũ eri-
gere volum⁹. Jam Cœlũ easdẽ Nro Herculi fixit, dũ Lapidẽ Angularem
in trophæum ei erexit. Nec plausibus cõgruis caret, si moribundus, vel cã-
tica explando, triumphos canit. Ergo nil Victori Nostro Fossa nova ob-
fuit, & si plures ejus triumphos impedivit, dum illos nobiliùs ipsum
Cæleste Capitolium supplet, sertoq; æternitatis Caput THOMÆ coronat.
Utinã & defectũ imbellis Oratoris suppleat, qui condignis sibi eruendis
plausibus, satis impar extitit. Quidquid tamen in publicum protulit,
totum id nectit in serta, dum floribus Oratorijs, & plantas Victoris sui, &
Operis finem coronat. Dixi.

MAGNI CONSILIJ ANGELUS, *ANGELICVS DOCTOR*, D. THOMAS *AQVINAS*, Ad Universum Orbem terrarum MISSUS, Panegyrico plausu IN PUBLICA HOSPITUM FREQVENTIA, IN MICHAELIS GARGANO SUSCEPTUS

à FF. CARM: DISC: S. Th. AUDITORIBUS,

ANNO suscepti à Virgine in Carnem, Magni Consilij Angeli 1712.

ORATIO.

ITerum cum suppetijs sua habetur labenti Lechiæ Angelica
Apparitio. A. S. Albo calculo dignum, quod sub nigro
Lescone, in Jadzvingorum cervicibus, legimus indelebiliter
adnotatum. Nigrum Principis nomen quisquis subaudis,
concolores protunc Regni successus facilè suspicaris. Dixis-

ses

ses atrum Principem ad terrorem hostibus natum : sed quàm turpiter, turpia nomina mentiantur, documentum dedit, dum loco hujus, quod procul à Patria, sui nominis induta larvâ, hostes deterrere debuerat, & & hostes & quæq; adversa cũ illis, in Regnũ propriũ provocaverat. Vacuãtur municipibus domus, implentur fugitivis solitudines, Urbs extra Urbem, districtusq; extra districtum abit, Patriaq; extra Patriam. Foci patrij fumant, Aræ profanis ignibus flagrant; nullusq; est, qui non ardeat accensis ignibus proximus Ucalegon. Nec immeritò, sub nigro Principe atro carbone omnia aduri visa, quasi proprio Capiti persimilem faciem indutura; totum namque Principis ingenium in pedes abijt, quasi verò in nigro Capite ægrè locum haberet : si adhuc pedibus etiam suum adesse consilium dicendum est, quibus tunc comunẽ in perniciẽ comuniter currebatur. Ergonè jam cum nostra Lechia actum? minimè. Ut tandem aliquando sub his Regni pressuris, semiviva respiret Patria, Cælo lapsus Spiritus eandem animavit. Dicam clarius: ut imminentes à Regno isto averteret plagas, Divinissimus MICHAEL, nostras venit ad plagas. Ut adverso Gradivo oppressam erigat terram, è Cælo ipse ruit in terram; & velut Magni Consilij ANGELUS, sui impotem, ex quò somno quoq; supinè deditum Principem Regni, Princeps Cælestis, suo armat, animatq; consilio; qua scilicet methodo, quove stratagemate, & hostes proprios, & omnia adversa à Regno proprio, propulsaret. Quid nos ad hæc ô nunc miseri! quorum novissima pejora prioribus. Aurei ævi, gemmeam è Cælo tempestatem, memorasse licuit, libuitq;, experiri non item. Longiùs se vota nostra extendunt, quàm fortuna permittat; invidereq; tantummodo alienæ fortunæ datum, non similem videre. Eheu tempora! deflenda magis, quàm narranda! Transierunt anni non pauci, quos si ad effusarum mensuram lacrymarum revocaveris, tota malorum sæcula, fluxisse credes. In comparatione nostri ævi, aurea sæcula sunt, etiam quæ lacrymis oppressorum in antecessum effluxerunt Pudet nos temporum quæ nunc vivimus; quæ ut ferrea omni ex parte facerent fata, in unum Regnum omnia concurrerunt. Alibi sæva tempestas cæpit, & desijt; & adversa fortuna velut flamma subsidere solet, absq; hoc, quòd toto incendio erumpat. Tigrides etiam Leonesq;, licèt ferocitatem non exuant, remittunt aliquando. Apud nos omnis Calamitas, pene sedem suam defixit. O vices temporũ! o adversa fortuna! o fata! siccine cæca extitistis! ut tota quasi cæco impetu, in unum Regnum, ab antiquo florentissimum, Superisq; servatum, impingeretis? In unum quasi supino lapsu corruistis! quæ universum per orbem, in partes dividi, distribuiq; consueveratis. Etiam ne tantum alienis gravata spolijs, ni vel dicam rapinis, assurgere in altum potuistis? ut, supra omnem Regnorum felicitatem, eluctatam Polonam Aquilam, ictibus tellorum attingeretis? ut quæ hactenus erat ministra Jovis fulminum, nunc vestrorum meta foret telorum? Sed nolite amplius Fata, adversamq; fortunam revereri mortales, jam bene nobiscum est. Et fatis suum fatum adest, funeribusq; extremum funus. Vultis ut clariùs rem loquar? Post consumptas spes, elusa vota, desperataq; consilia, en iterũ in terram Magni Consilij Angelus ad nos mittitur, ut ejus ope, non sine prodigio, antiqua felicitas Regni istius, revocetur. Recipit hodie inquinatus

natus Polonus Orbis, Inquilinum Cæli, infirma mortalium natura, suum Custodem Angelum, Patritium Lechiæ Cælum, suam Moticem Intelligentiam, impos sui, consilijq́, undiq́; egens, posita in extremis Polonia, recipit Magni Consilij Angelum, quia Doctorem Angelicum. Vultis scire, quantus hic, quantæq́; virtutis Angelus est? ab ejus Motrice Intelligentia, totius orbis literarij, motus revolutioq́; dependet. quidni & Cælum Patritium dirigere valeat? Quod si Cælum, hoc est Superûm sedes, statusq́;, cum astris ejus innititur pectori, quidni si velit, tribus digitis, quibus Summam scripserat, & nostræ terræ Molem appendat. Angeli etiam ejus disciplinæ sese submittunt, & Regnum unicum ejus Consilium non quæret? Date igitur Vestras Mentes Motrici Intelligentiæ, docta ingenia; Magnoq́; è Cælo hanc in Terram Legato, seu veriùs Magni Consilij Angelo, aures attentas non negate; tantum ab eo, etiam in arduis quibusvis edocendi, quantum Vos ejus Consilio egere ostenderitis. Ego interim minimus discipulorum, Magni Consilij Angelum, ut pote difficilè visibilem, è Carmeli antro, quasi digito demonstrabo. Exanime Orationis corpus, Te ipso anima qui spiritum præfers THOMA Diviniſſime; dumq́; Magni Consilij Angelus à me diceris, etiam ignavæ Laudum Tuarum menti, Consiliarium Te præstabis. Angelico Spiritui respondebis tantum cum Spiritu Tuo, Auditor Humaniſſime; ubi Tractatum de Angelis, hac in parte Theologus, extra Theologiam auscultabis.

Illuc ego confirmationis meæ paſſibus primo gradior, unde Noster Angelus miſſus est. Mitti namq́; debuit si Angelus fuerat; nam teste mellifluo Doctore, Angelus, idem ac miſſus, sive Nuntius est. Vultis scire unde nam miſſus est? è Cælo. hoc enim etiam cum cæteris Angelis cõmune habet, quod nec proprio Cælo careat. Prius in Cælo fuit, antequam ad terram venit. Prius ante Thronum DEI cum septem Spiritibus adstitiſſe visus, antequam ad solum descendiſſet. E terra quidem ut alij homines factus, sed è Cælo inter homines miſſus. Terræ quidem labiliq́; ejus naturæ, velut Custos, Magniq́; Consilij Angelus datus, sed Cælo movendo, velut Motrix Intelligentia, per prius deputatus. Vultis scire quod nam compello Cælum? Non Cælum Martis, non Mercurij, Veneris vel Lunæ; sed Cælum Solis. Solis dixi non Lunæ; neq́; enim talis THOMAS fuerat, ut more Lunæ, ab alio Planeta, splendorem Generis mutuaret. Solis non Veneris dixi; nam quamvis carnem præferret, ita tamen vixit, ac si totus spiritus esset. Martis quidem poſſet vocari illius Cælum, ut pote & Martio Mense, & bellico eriete insignitum, nisi quia Magni Consilij Angelum deceret magis, quod non belli sed pacis Angelus esset, qui paci integritatiq́; boni communis, consulturus venerat. Quamvis enim etiam lucis Angeli, ubi pacis Visio, in Cælis assueti præliari, in hoc tamen Noster THOMAS cæteris excelluit Angelis, quòd non armis sed animis, non telo sed ingenio, cum suis hostibus dimicare consueverat. Solis ergo Cælum, tanquam propriam, ex qua miſſus est compello sedem; idq́; non qualiscunque Solis, sed Solis splendidiſſimi, & quidem non illius, quem olim ignavus Phäeton vexit, quique quondam universum Orbem exuſſit, in favillasq́; redegit; sed Solis splendidiſſimi ex Aquinatico Oceano emergentis, in THOMÆq́; pectore

ctore velut quodã Zodiaco, & exorientis, per torquem auream, velut per Cæli Zonam, suam eclipticã, cursumq; peragentis. Illius inquã Solis cõpello Cælum, quem olim ad gloriam THOMÆ satis illustres in Sicilia Aquinatum accendere Ceræ, Serenitatemq; illius etiam Regales Regni illius Throni, Aquinatibus ab antiquo cognati, adauxêre. Si Angelos Motrices Intelligentias vocamus, patet jam, cui nam perpriùs movendo noster Angelus deputatus fuerit Cælo; non quod olim etiam mali consederunt Angeli, suoq; peccato obscurârunt, sed illi deputatus fuerat Cælo, quod tot ferme Angeli lucis illustraverunt, quod Illustrissimi de familia ejusdem lustraverunt. In quo etiam consedere consueverat Supremi Joves terræ, qui regunt & portant Orbem. Quanquam aliunde Domum Aquinaticam, non Solis tantùm, sed & Stellatum etiam vocare poteris Cælum: ut pote tot sideribus illustre, quot splendoribus Majorum, coruscum. Ni meliùs ab Aquinaticis Aquis vocare malueris Firmamentum, vel Cælum Crystallinum, quia & ex omni parte diaphanum, & nativi splendoris, universas sui per partes, totum per orbem diffusivum. Ex hoc igitur satis illustri missus est Cælo, ut hinc constaret, quòd lucis Angelus esset. Hac enim [illegible]one, Nostro THOMÆ, veluti Magni Consilij Angelo, infirma m[illegible]m natura, sese fidentiùs submittit, dum lucis Angelum videt. [illegible] Noster THOMAS, Principum Regumque decoraratur sangvine, nam, sive illum ex Principatibus, sive ex Potestatibus, aut Thronis velis, hoc in uno totum habeas. Rectè Comes de Comite natus, Angelus enim pro Comite mortalibus datur. Nec Theodora ñ benè Nomini suo paret, dũ angelũ parit: Donũ enim ethymo nominis dicta, ut constaret, quòd magis ex DEO, quàm ex homine conceperat. Dono DEI eguit, si Angelum peperit: id namque naturæ suis viribus relictæ, hactenus denegatum fuerat. Si etiam in nomen Theodoræ cum suo dono Spiritus Dñi supervenerat, quid aliud, si non aliũ Filium DEI, aut Magni Consilij ANGELUM, paritura fuerat. Hominem quidem intenderat natura, sed Angelum genuit. Aquinaticum THOMAM nitebatur Theodora, sed Angelicum enixa est. Carne quidem conceperat, sed spiritu perfecerat, ut constaret, quod non in vacuum gratiam DEI, in Nomen accepisset. Hinc spinas tantùm aut tribulos terram germinare nolite incusare mortales, non sic enim maledicta, quin fructus benedictos proferat; non sic Caro morti addicta, quin Spiritus immortales pariat. Nam cùm THOMAM edidit, è spinis uvas, è tribulis tribulationibusq; consolationem, quia Magni Consilij Angelum peperit, quo hactenus sibi ignava eguerat. In Cælo quidem, hoc est communi Cælitum loco, debuisset Noster Angelus nasci; nisi illuc etiam è terra velut Legatũ mitti fuisset, illi gloriosiùs. Et ille enĩ locus eget Magni Cõsilij Angelo, hoc est Doctore Angelico. A solo quidẽ DEO, ut cæteri Angeli debuisset creari, nisi à Principib⁹ etiã terræ depẽdere, nobis lõgè fuisset utiliùs. Cùm enim infirma mortaliũ natura Magni Cõs: Angelũ profert, præstò habet, unde sibi ignava consulere valeat. Et hoc sufficit nostræ Telluri ad gloriam, quòd non infra etiam Cælos sit, cùm in Orbem etiam Magni Consilij Angelos, mittat, suoq; etiam Cælo gaudeat. Vultis verò scire, quorsumnam primùm proprio missus è Cælo? ex prodigio discite, ad quod se perpetrandum resolvit THOMAS, dum in fascijs li-

gatus jacuiſſet. Nempe hucuſq; infans flevit, quoadusq; cauſam ſuæ lætitiæ, hoc eſt ſchedulam, MARIANA ſalutatione inſcriptam, per terram ſerpentem, non deglutiſſet. O Prodigium! Infans Cererem totam deglutit! lactens Neptunum abſorbet! Angelus Cælum, immo totum occupat Univerſum! Neq; enimverò non Univerſum dici meretur Virginis uterus, in quo & creavit omnem hominem DEUS, & iterum recreavit. Totum quidquid continet mundus includi voluit, dum ſe totum incluſit. Siccine auguſta Auguſtini revocas tempora Angelico Puſio? ut exigua oris fovea, totum abſumas Oceanum? Itane diſordinas gratiæ ordinem? ut quæ ex Angelico ore exijt, ſalutatio MARIANA in os Tuum intraret? Itane abſumis ventre, quod mente & ore proferre debueras? In præcordijsq; abſcondis intimiùs, quod toti mundo magnus Cæli Nuntius, revelare debueras? Sed parcite in hac parte avaro THOMÆ: Peregrinus in terra eſt, quidni viatico egeat viatorum? Angelicûs eſt, quidni illum Panis concernat Angelorum. Magni DEI, magnus Conſilij Angelus eſt, quidni ad illum pertineant ſecreta Divinorum arcanorum. Locuturus Oracula, ſumere debuerat miracula. Cæli Civis, non alia debuit nutriri annona, quàm quæ de Cælo deſcendit. Non modicus calor, quia ſol ipſe pectus ejus adurit, non miremini quod toto Oceano, ſitim ſuam extingvat. Quanquam aliunde, nec Angelica Salutatio, alia concernebat labia, præterquam Angelica, nec ille alio fine eandem deglutit, niſi ut iterum illam eructet. Hoc prodigio, iterum hic Auditor, Miſſus eſt Angelus ad MARIAM; iterum Cæli Nuntius miſſus eſt ad Virginem. Gabrielem crederes, niſi THOMAM ſcires. Archangelum dixiſſes, ni melius Magni Conſilij Angelum vocare velles. Quanquam utrumq; ille munus, in ſe includit, qui eſt Cæli Nuntius eſt, & Magni Conſilij Angelus. Ille in Scripturis Archangelus, hic Archi-Angelus. Ille Gabriel, hic THOMAS. Ille Fortitudo DEI, hic Virtus Sapientiaq; illius. Gabriel, unus ex ſeptem Spiritibus, qui ſemper adſtant Throno DEI; THOMAS Noſter, Thronus ipſe Sapientiæ, Scientiæq; Divinæ. Si enim Angelos Thronos dicimus, nullus meliùs, quàm Noſter Angelus, exprimit Thronum DEI; cùm aliàs & ex Regibus ſit, & Solem pectore induerit, in quo poſuit Dominus, Tabernaculum ſuum. Vultis ſcire, pro quo nam ad MARIAM noſter Angelus miſſus eſt? ut Eam ſalutaret. Miſſus eſt, ut illam Salutationem non tantum ore premeret, ſed ut iterum promeret; non ſolum ut deglutiret, ſed ut iterum eructaret. Unde cum adhuc illam benè ore exprimere nequiret, altiùs tranſmiſſam impreſſit cordi, ſolo tantiſper MARIAM ſalutaturus cordè, ubi organa vocis impedita fuerant. Miſſus eſt, & quidem non ſine myſterio Incarnationis, ut & Matrem, & ejus Filium, incarnaret propriæ carni, hacq; arte, Magni Conſilj Angelus fieret. Miſſus eſt, non ut iterum Myſterium Incarnationis Matri DEI evangelizaret, ſed ut evangelizatum per primum Angelum, Magni Conſilij Angelus, ſua poſtea in Summa, Orbi univerſo, clariùs annuntiaret. Miſſus eſt, non ut Virginem ſupra Myſterium expaveſcentem, conſortaret, ſed ut confortaretur ab ipſa, ne haberet poſtea, quod in difficultatibus, hac in materia venientibus, expaveſceret. Et benè miſſus eſt ad MARIAM, ut pote Angelus, ad Angelorum Reginam, Titan Thomiſticus ad Mu-

lierem

lierem amictam Sole, Rivus Aquinaticus, ad Oceanum MARIANUM; non ut impleret Mare gratiarum, sed ut impletur ab ipso, & quidem tot gemmis, quot margaretis, unus illius æstimari valet Unio Hypostaticus. Et bene Magni Consilij Angelus, missus est ad eam Virginem, quæ Magni Consilij genuit Angelum, ut nimirum disceret, quando & quomodo bene consulturus fuerat. Alijs bene consulturus, sibi non malè consuluit, dum illam absumpserat, in cujus utero Divina Sapientia, sedem sibi fixerat. Et miramini Magni Consilij Angelum dici & esse THOMAM? Non miremini: Magni Consilij Angelo cognatus Frater est, quidni & ipse talis sit. Eandem cum Incarnata Sapientia Matrem nactus est, quidni proli cognatus sit. qui cùm in Matris non posset esse visceribus, Matrem in sua clausit viscera, ut de toto & Magni Consilij Angelus diceretur, & ipsi Incarnatæ Sapientiæ cognatus foret Et bene equidem si enim MARIA Angelorum Regina est, nostrum etiam Angelum lactare debuerat: si vero Sedes Sapientiæ, vel ipsa Musarum Pallas, hâc Academiam Nostrum Doctorem frequentare decebat. Certè nec Magni Consilij Angelo aliud cedere debuerat pectus, præterquam MARIÆ; nec MARIA alium secundo nutrire poterat filium, præterquam Magni Consilij Angelum; qui ad hoc etiam venit in mundum, ut à peccatis errorum, salvetur mundus per eum. Si hæc in Cunis, quid postea in Rostris? Qualis ille, quantusq; Doctor erit! qui in cunis adhuc libros edit, dum edit. Quinquenis posthac Cassinesibus traditur educandus. Quid hîc THOMAS? ergone sub aliorum disciplina consilioq; erit? qui hactenus ut Magni Consilij Angelus à cunctis habebatur? Ergone aliorum egebit regulâ, qui alios regulaturus venerat? Minimè. Nimirum sub regula Benedicti tantummodo in tantum regulari voluit, ut cæteris regula foret. In tantum aliorum consilio subesse voluit, ut præesset; quandoquidem tunc etiam quinquennis, ita virtuti studuit, ut norma virtutum, Magisterq; ac exemplum cunctorum, videretur. Fuerat in illo monte nemo mente ad DEUM elevatior, nemo in orationibus vigilantior, nemo in amore Divino ferventior, ut dubium sit, ex quonam ordine Angelorum fuerit? qui & Cherubinum in plenitudine Scientiæ DEI, & Seraphinum in ferventi amore Divino, & Virtutes in continuo virtutum exercitio, insuper & Magni Consilij Angelum, in dāda ex se doctrina, egregiè redolebat. PræsentiāDEI ita assiduò habebat, ac si simul in Cælo esset. Attributa ipsius contemplabatur continuò quasi caput in Empireo haberet. Nec immeritò, commune namq; illi fuerat cum cæteris Spiritibus, seu videre faciem Patris, seu vultum omnimodæ Sanctitatis. Nescio an fidem habuerit, qui ita vivebat, ac si comprehensor fuisset. Diu tamen hîc ad Benedicti Zodiacum commorari nequibat noster Angelus, quem DOMINICI Neapolim, ac si ad Polum trahebat sidus. Certè si cælum quasi stellis cælatum dicitur, similem vel in fronte DOMINICI, Noster ANGELUS advertit cælaturam. Magni Consilij Angelum vestro movendo deputari opus fuerat Cælo, Prædicatores Sacri, utpote tot Cælestibus Intelligentijs, quotquot Doctoribus pleno. Motrices Vos Intelligentiæ tot Orbium, quotquot Urbium aut Regnorum estis; si unū Angelū pluribus movēdis Cælis, sufficere contradixistis, habetis contrarium in Motrice THOMÆ Intelligentia; hàc

enimverò, tot prima Mobilia; quotquot animos, moveri concludetis. Et certè, ſi quando, tunc vel maximè Magni Conſilij Angelum ſe eſſe probavit THOMAS, cùm ſe ei imiſcuit Ordini, ex quo tot ferme Magni Conſilij Angelos, in Univerſum mitti videmus, quot digniſſimos Palatij Magiſtros, Conſultoreſq; Romanos, numeramus. Si Angelos in Choros dividimus, THOMAM Noſtrum, non alij, quàm DOMINICANO decuit annumerari Choro, ut pote & habitus candore, & cantûs tenore, Angelico perſimili. Multos Angelicos phantaſtica corpora legimus aſſumpſiſſe, ut ſe viſibiles præberent: Noſter ANGELUS ne corporeus appareret, & corpus proprium, & omnem terrenam ſubſtantiam abjecit, ut de toto Spiritus foret. Quantum jam poſt Profeſſorem expers carnis fuerit, vel inde conſtat, quia Matri propriæ, eſſe inviſus cæpit. Nempe Materno illum oculo ut olim videre nequibat Theodora, exquo non Spiritualis tantummodo, ſed & ſpiritus eſſe incepit, utq; tandem probaret, qualis nam, nimirum utrumnam lucis Angelus foret, an verò talis, qui vinculis teneri alligariq; pænis valeat? Studiorum causâ à Superioribus Lutetiam Pariſiorum miſſum, per Fratres captum, per biennium carceri incluſit. Sed quid eſt Auditores? ergo ne arctam Angelici Spiritus ſubſtantiam Arx acerbit? Etiamne Motori extra Cælum Angelo, immoti obſiſtent muri? quem hactenus Theologi ab uno extremo ad aliud ſine medio poſſe tranſiret crediderunt? Ergone ad extremum, ipſum Magni Conſilij Angelum, conſilio, opeq; humana, egere concedemus? Minimè. Nempe etiam inter vincula, Angelicus triumphat animus, nec ille carcer jugum imponit animo, qui corpori. Major fuit Noſter THOMAS, quàm ut arce arctari poſſet; corpusq; tantummodo coerceri potuit, non ipſe Spiritus. Vultis ſcire quarendam cùm fuerit Angelus, ſe comprehendi ligariq; permiſit? ut nimirum palam faceret, quòd Angelus, & quidem Magni Conſilij Angelus eſſet; talis namque fuerat, ſi abſq; conſilio opeq; humana, ex clauſo etiam Caſtro, elapſus eſt. Angelus erat, hinc ſponte ad ſuum Joannem venit, quem ſibi conſervum ab antiquo noverat. Etiam in tetro carcere, nil non gratioſum illi eſſe poterat, ubi Gratiam ipſam invenerat. Et certè ſi Angeli locum faciunt, Cælum ſibi feciſſe ex illo carcere viſus; virtus namque quidquid ſubintrat, condecorat. Parum eſt Matrem in vincula Joannis, ſuum filium injeciſſe: Mulier etiam ſaltatrix ad illum introducitur, ut vel in circulũ vitioſum, motor Angelus inducatur. Quàm gravis verò, quamq; timẽda & Noſtro THOMÆ iſta ſaltatrix foret, vel inde conſtat, quia non jam diſco tantummodo Caput THOMÆ, ſed totum THOMAM ſibi dari petebat. Hîc Tibi hîc agendum o puriſſime Juvenis! Si Angelicus es, hîc pro Angelica virtute dimicandum. Si Magni Conſilij Angelus, hîc Tuæ vitæ, honorique Divino conſulendum. Vidiſſes tunc Auditor, novo prodigio, ſub obſuram carceris noctem, luctantem Angelum, uſque DOMINICI ſub Auroram. Si Angelos virtutes dicimus, vidiſſes pro virtute ipſam Virtutem decertaſſe. Ad ultimum, vidiſſes, & dixiſſes, iterum extra Cælum, magnum inter MICHAËLEM, & inferni Draconem, initum prælium; niſi quòd ille in Scripturis Michaël, hîc THOMAS eſſet: ille pro DEO, hic & pro Angelica virtute, dimicaſſet. Quidquid ſit, vicit & hîc Princeps Præceptorq; Cæleſtis Militiæ,

iterum

iterum hoc in bello, proſtrata infernalis bellua, & ad ignem vel accenſo Scipione relegata. Et negabitis verum Angelum THOMAM? non negabibitis. Angelus eſt, quia puriſſimus. An non verè Angelus, qui etiam Cypridis non ſenſit ignes, veluti carne ac ſenſu caruiſſet. Imo pluſquã Angelus credendus THOMAS; nam Angeli, etiam quadã Spirituali luxuria, in illo Paradiſo cecidiſſe creduntur, quantumvis aliàs lubrico carneq; caruerint. Quid ſi carnem induerent? Quare concludendum, quòd Noſter THOMAS Magni Conſilij Angelus erat, ſi carne indutus ſic ſibi benè conſuluit, ut infernali ardore aduri non potuerit, qui ipſos etiam Spiritus torquet. Aſſurge, aſſurge, Magni Conſilij Angelo, Urbis & Orbis Caput Roma; aſſurge & Tu Bononia, aſſurge Colonia, Univerſeq; literarie Orbis aſſurge. Ille ad Te è Cælo miſſus venit, qui Te Cælis altiùs, in ſuis pennis elevabit. Ille ad Te tendit, qui Motrice ſua Intelligentia, tuas ſphæras revolvet. Ille Tuas ingreditur Athenas, ex cujus ore, veriùs quàm ex tripode Apollinis, quotquot verba, tot Oracula, quotquot Articulos, tot veritatis reſpõſa, univerſi Sapientia Orbis audiet, excipiet, poſteritatiq; legenda conſervabit. Aſſurge & Tu non minori diſcipulo, Magne Magiſter Alberte. Hic Te Magiſtrum petit, qui ſupra Magiſtrum erit. Hic ſuũ verticẽ Palladi tuæ ſubmittit, quem tuum arte elaboratum Caput, non ſine prodigio, magnum Hoſpitem ſalutabit. Vide Bononia, vide univerſe literarie Orbis, quantus ille in terris Hoſpes ſit! quem mutum etiam, atque elingue caput, & quidem ſolum, primumque ſalutat. Si tanta prodigia vix pedem Parnaſſo infert facit, quantus ille qualiſq; erit! qui tot ſimilia efficiet Capita, quotquot capita vel articulos ſcribet Habebat Magnus Albertus, habebat Bononia, habebat totus literarius Orbis, quod in THOMA ſtuperet, poſtquã ingentem mentis amplitudinem, pene toti Orbi movendo ſufficientem, vidit; libenter propterea ut Magiſtrum exciperet THOMAM, niſi ſe indignum reputaret hominem, quem ſupra homines, quia Doctorem Angelicum eſſe futurum præſciebat. Ut diſcipulum ſe quidem habebat THOMAS, ſed pluſquam Magiſtrum, Magiſter prædicabat. Bovem & quidem mutum vocitabant diſcipuli, ſed re ipſa non homo, quia Angelus erat. Mutus quidem ac ſi bos videbatur, ſed ſciendum, quod Angeli nonniſi intellectu loqvuntur, etiamq; dum tacent, facundi ſunt. Erratis o THOMÆ Condiſcipuli! erratis, dum Bovis etiam ſignum, quantumvis muti, moveri à Motrice Intelligentia contradicitis. Conſulite Mathematicos, & oppoſitum comprehendetis. Si THOMISTICUM Solem, in Tauri ſignum ingreſſum intueminini, pectus Aquinaticum, Cælum, ingenium illius, Motricem Intelligentiam, neceſſe concludatis. O artẽ ingenioſã THOMÆ! ut mundum eluderet, veſtigia bovis reliquit ne agnoſceretur quod re ipſa Apocalypticus Angelus eſſet. Ut Angelus eſſet; homo eſſe deſijt; ut in Cherubinum, hoc eſt, plenitudinem Sapientiæ Scientiæq; Divinæ excreſceret, formam muti animalis aſſumpſit, quaſi ſciret, quòd hoc animal, apud Ezechielẽ, in Cherubinum trãſiſſet. Nec ſuum THOMAM ſpes fefellit; vix enim ſibi Doctoralem pennam adaptavit, ita in ſublime ingenio volavit, quaſi magnarum alarum Aquila eſſet; nec reſedit niſi ubi Magnum Conſilij Angelum, ſiſtere decuerat. Documẽtum Auditor deſideras? ut magnum noſcas, Summam reſolute. Ut

 THO-

THOMAM, hoc est Abyssum Scientiarum discas, Tomos percurre. Abyssus alijs DEUS, non THOMÆ. Quinimo THOMAS, Abyssus DEO. Ita enim illum in Uia comprehendit, ac si etiam ante ipsum terminum, Comprehensor fuisset, nihilq; restaret quod sibi clare videndum in Cælo, reservaret. Summa illius Summa Mysteriorum est, quot articuli, tot Oracula. Quotquot Capita in ea scripsit, tot Capita erudita exhausit, ut unũ Corpus, dignũ suo Capite, conficeret. Collegit in ea quod quid sciri potest, aut doceri. Tripodem Orbis non immeritò vocare potes, cùm aliàs & Oracula præferat, & tribus partibus, acsi tribus pedibus prædita sit. Quidquid fides obscura in Via credit, totum id clarè THOMAS ostendit; quidquid sperare potest, totum id habet: ut non immeritò lumen etiã Gloriæ illi non deesse asseras, dum & DEUM trinum in Summa, & Solem in THOMÆ pectore intuearis. Qui vult omnia scire THOMAM ediscat, & omnia resciet. Qui vult adhuc in via DEUM clarè videre, lumen pro Cleantis lucerna THOMISTICUM adhibeat, & jam illum tenebit; nec habebit quod invidere Beatis possit, cùm æque clare eundem per THOMAM possidebit. Abdita alijs arcana DEI, non THOMÆ; sic enim de arcanis DEI discurrit, acsi in Superum Concilia intraret, talisque Angelus esset, cui etiam & Superum Consilia paterent. Audivit Apostolus arcana DEI, & siluit: quæ PAULUS loqui non potuit, hæc THOMAS dixit. Cùm de DEO scribit, hominem excessisse videtur, dum de VERBO Incarnato, Cæli Nuntius cum hoc Mysterio in terras missus, esse creditur. Angelus est, dum de Angelis tractat; immo plusquam Angelus, cùm per pondus doctrinæ, quas rationum leves plumas excludat, quas tamen etiam Motricibus Cæli intelligentijs non deesse videmus. Certè aut Theologiam è Cælo traxit, aut scivit in Via, quid ageretur in Patria. Si Angelorum etiam Doctor esse meruit, quidni hominibus Magni Consilij Angelus esset. Si Orbis totius sapientiam comprehendit, quidni disciplinæ illius, mortalis intellectus, se instruendũ subijceret. Nisi enim hunc Angelum Cælum Nobis misisset, puto pridem jam Orbis tot ruinis ruderibusq; confractus, in cineres errorum, favillasq; Hæresum, redactus esset. Superis hæc Mundi Machina debet, quòd hactenus tota subsistat, Motrici THOMÆ Intelligentiæ quòd mũda à mendis sit. Hic Spiritus meliorem ad Vitam, eandem animavit, pulveresq; errorũ pœna sua abstersit. Unde jure meritò totus Orbis literarius, non alium suum profiteretur Motorem, præterquam Motricem ejus Intelligentiam; nam ab illius motu & Angelica penna, tota ejus in circulis revolutio, processusq; dependet. Quàm magnæ Sapientiæ Angelus fuerit, ex Verbi elogio disce. Quàm benè sese suo muneri impẽderit, ex præmio conijce. Si illuminare superioris Angeli munus, certè Supremus Angelus esse debuit, qui face pectoris, acsi lucifer, & homines, & ipsos Angelos illuminavit. Angelum & quidem Magni Consilij Angelum Gregorius XIII. ostendit, dum THOMAM ad Concilium Lugdunẽse sedandum misit. Ut se hominem negaret THOMAS oblatam in vim præmiorum Neapolitanam Tiaram ultroneè respuit, indicans, quod hoc munus solius hominis esset. Quid putatis cujus Ordinis Angelus esse debuerat? si ejus custodiæ, dilectam suam Sponsam CHRISTUS commiserat. Quam benè illam custodivit, immo & huc usq; custodit, ipse hostis

vel

vel invitus collaudat: Tolle THOMAM, & dissipabo Ecclesiam; & justè equidem, nullus enim personatus Draco, vel serpens callidus, accedere adhunc mysticum Paradisum præsumit, ex quo Præfectum illius, cum districto oris gladio, Nostrum Angelum videt. Quid ultra? ut tandem ipsa fata explorarent, utrum nam Angelus, vel homo esset, qui mori posset? Fossæ Novæ foveã THOMÆ effoderunt, inquã eundẽ præcipitarunt. Sed quid est Auditores? Angelusnè fuit, qui mori potuit? Minimè non Angelus. Cave ne quis Nostrum Angelum mortuum credas, immortalis namq;, quia Angelus est. Nec vivere desijt, sed tantum oculis nostris apparere. Spiritus erat, hinc ad eum redijt, qui illum misit. Utque & Magni Consilij Angelum noscas, scias eum ita si benè consuluisse, ut non nisi eo motivo Carnem assumpsisse credatur, ut haberet, quò tela fatorum eluderet: Nam ita integer sese in Cælum recepit, ut nonnisi solas Carnis exuvias, Fossæ Novæ reliquerit. Quanquam nec totum in Cælum se recepisse dicere possum, qui sic cunctis suâ Summâ Theologiæ consulit, acsi semper Comes nobis adesset, Quilibet nostrum suo eget custode Angelo, qui illum dirigat, hunc omnes deprædicant, acsi omnium Custos Angelus esset. Quia tamen Spiritus est, videri non potest, maximè postquam Corpus reliquit. Hac ratione, nec ego ampliùs laudes illius, ore meo tenere valeo, qui ut ex proprio corpore, ita ex Oratoris ore, ut subtilis elapsus est. DIXI.

TVBVS OPTICVS,
Novo Aſtro, in novo Cælo, apparenti,
ACCOMMODATVS.
SEV
S O L
AQVINATICUS,
citra novam Aſtronomiam,
per Aſtrolabiũ Panegyricum,
O B S E R V A T V S.

ab ijſdem ut ſupra FF. CARM: DISC: COLL: CRAC: S. Th. AUDIT:

ANNO quo SOL JUSTITIÆ in VIRGINIS Signum deſcendit. 1718.

O R A T I O.

NOvum Aſtrum, novo apparuit in Cælo; ergo quilibet Aſtrologus adſit. A. Revehunt hodie Martij feriæ, Doctoris Angelici inferias; meliùs dicere debueram: Motrix Intelligentia THOMAS, nativum cum Sole in peraugusto pectore revolvit Cælum, ergo quisq; Aſtrologus cum Optico Tubo properet, ut illud accuratiùs obſervare valeat. Novum enim Aſtrum à novo Aſtronomo diligentiùs obſervandum; ut nimirum diſcamus, quidnam boni portendat? & quali aſpectu præditum ſit. Et certè multum nimis imperiti eſſemus Aſtronomi, ſi Cæleſtes, & quidem remotiores à terra, luſtrando Orbes, unum, idq; ſatis nobis proximum, quia & propitium, Aquinaticum Aſtrum, in ſui pectoris centro, velut in Cælo ſituatum, ignoraremus. Beneficos ad hæc inferiora THOMISTICI Solis influxus demereremur, ſi revolutiones ejus Cæleſtes, non caleremus, eruditoque ſudore, refundere dedignaremur. Neq; enim ita perauguſto pectoris Cælo alligatus videtur novus hic in terra Titan, quin ſe in commoda univerſi Orbis non moveat, ſuamq; Eclipticam, per tot Zodiaci Sidera, quotquot virtutum coruſcantia Signa, non perficiat; qui vel ideo aurea Zona præditùs eſt, ut habeat in pectore viam Cæli lacteam, per quã Curſum ſuum peragat, Orbiſq; abdita luſtret. Quare non hîc cum ſua ſubtilitate, qua Orbes Cæleſtes penetrare ſe ja-

ctant,

ctant, mihi sese insinuent, Stoici, Platonici, Pytagorici, alijq; sexcenti, à Siderum splendoribus illustres Viri, vel ideo incolatu Siderum sua opinione digni, quòd Tauros etiam, Caprasque, inter Sidera transtulerint, ut habeant, quo illuc evehi possint. Quidquid tamen sit, solus mihi Apollo erit, qui Solem hodiernum condignè observaverit, Cursumq; illius, ac Cælestes in Tellurem Minervæ influentias, accuratiùs descripserit. Sed quid hìc de Te novus Astrologus novū demōstravero THOMAS Divinissime, qui & dici Sol Doctorum mereris, & defacto re ipsa est? Si Te Cælum Solis nominavero, excedis; cum Tua claritate Cælos ipsos superes. Si Te innubem meridiem proclamavero, mereris. Injuriam tamen splendoribus Tuis inferrem, si ad Tuarum meridiem virtutum clarius illustrandum, Cleanthis lucernam accenderem. Sicut splendoribus Solis adimit, quisquis ad videndos eosdem, Diogenis lychnum accendit, sic profanat Titanem Tuum, quicūq; eum ingenij face, illustrare contendit. Non clarescit Illustrissimus Phœbus per umbras, quas illi utiq; Cimmerias adijcit, quisquis eum adumbrare satagit. Ne ergo alicujus temeritatis imbellis Tuus pro rostris Orator argui possit, quid igitur faciet? à longè tantummodò per Tubum Opticum, more Astronomi, in Tui pectoris Cælo, Titanem Tuum observabit, sicq; observatum describet. Patiaris igitur Sol splendidissime, ad Tuos illibatos splēdores polluti labij Astrolabium applicari; patiaris in circumscriptum Orbis limitibus, Lumen Tuum, describi; non ignarus umbram non officere Soli, multò minùs oculum ab acuta etiam Aquilina acie ad suos splendores exploratum. Quod si feceris, vilem atomum, radijs Tuis ad lucem elevabis. Tu tantummodo Auditor Humanissime ab æstu Solis Aquinatici n̄ refugito. Sereno Cælo Astrolog⁹ indiget ut Sidera legat, quòd si innubem frontem eidem exporrexeris, nubilum ipsum, in sudum permutabis.

Aquinaticum citra diviniorem Astronomiam, observaturus Solem, illuc cum Optico Tubo primario gradior, unde mundo exortus est; utq; illum statim Orientem describam, ad Occidentem invito. Sed ergonè etiam in Occidente oriri nasciq; Soles concedemus? Ergonè ubi de more Hesperias Titan cum Quadrigis mergit sub undas, in eodem aquarū profundo, & tumbam, & Cunas nanciscetur? Ita est Auditores: in Occidente etiam oriri Soles ex Aquinatico THOMA discimus, dicimusq; sique hactenus in Sicilia, non nisi occumbere Titanem putabamus, à modò & assurgere, citra novam Astronomiam, non absq; prodigio edocemur; postquam Gentilitiæ Aquinatis Ceræ, ita nativis intenderentur fulgoribus, ut non qualecunque Sidus, sed Solem accederent Universo. Iterum hic Auditor, citra Pòetarum commentum Fons versus in Solē; siq; fabula fuit, Solem è fluctibus Ponti oriri, amodò in veritatem luce clariorem transijt, Sole Aquinatico, ex Gentilitijs Aquinatum Aquis, Orbi exorto universo. Et quid tam Illustres Majorum illius Ceræ, si non Solem accendere debebant? cùm sic splendidè Regijs etiam intenderentur fulgoribus, ut non immeritò illustrando Siciliano Regno, solæ, & unicæ, sufficere valerent. Accedit ad hæc & Filia lucis, nam DEI Donum Theodora, quæ nisi Phœbum pareret, nunquam crederem, quòd Filij matrizarent. Quanquam ubi communiter è fonte vivum, è Sole

radiū

radium manare novimus, hic è contra, dum Theodora THOMAM Orbi protulit, radius Solem, rivus Mare effudit. In Cælo debuisset Noster Sol nasci, nisi illò transferri fuisset gloriosiùs. Nisi fortè Aquinaticas Cunas, Cælum ipsum dixeris, tot Sideribus cælatum, quotquot Majorum luminibus clarum; maximè cùm & suo Aquario non careat, & tot Planetis, quotquot de Aquino Comitibus, præditum sit. Præiverunt hunc Solem, tot ferme primæ magnitudinis Sidera, quot illustria Majorum lumina; tot Planetæ, quotquot de illius Stirpe Principes, Arragoniæq; Regũ affines sibi splẽdores, ut non imeritò Principis Astrorũ, Supremiq; Planetæ nomen THOMAS usurpet, cui tot Sidera assistunt, novãq; Gallaxiam in mundum Orienti depingunt. Phosphorus fuit, qui Adventum ejus prædixit, re & nomine Bonus, vitâ optimus Eremita; Aurorã non immeritò imitata Theodora, cùm Titanem peperit. Quàm pulchrè sua munera ambo ipsorum obière, ex fructu patet, quem Orbi induxêre. Time Orbis cujus Incolæ magis dilexerunt tenebras quàm lucem, iterum dico time Orbis; en novus & quidem sine omni macula, qui tuas aperiat tænebras, exoritur Phœbus. Si in Ortu tantum splendescit, quid putas, quantam ille lucem non sparget, cùm ad Sapientiæ virtutisque Meridiem venerit? Si nondum plenè exortus, in ipso diluculo, Aquilinas etiam fatigat acies, quos ille Vespertiliones bubonesq; Hæresum, non perstringet, cùm ad Splendorum augem venerit. Gratulor Tibi Sicilia, auream Solis istius diem, quòd scilicet, prima omnium splendoribus illius illustrata fueris, Ortumque illius, nova Phœnicensium felicitate conspexeris. Tu vel maximè ex THOMA Nostro Orbi universo inclaruisti, dum Solem illius prima & sola recipere meruisti. Tibi enim Orbis debebit, quòd iterùm atq; iterum lucem aspexerit; nisi enim illi cum Sole Aquinatico illuxisses, in tænebras errorum haetenus abijsset. Ergo bonum mane Auditores, jam enim Sol Ortus est. Si Dies bonos diligimus, quidnì optimum, quia Aquinatico præditũ Sole, nobis adinvicem non gratulemur. Hæc dies quam fecit Sol Aquinaticus, ergo exultemus & lætemur in ea. Sed quid ego Aquinaticis Ceris in illustre Cælum extensis sistens hæreo! qui Astronomi de more cursum Solis observo. Meridies jam venit, & ego diluculum describo. Jam Aquinaticus Hyperion ad alium sese transtulit Horizontem, & ego hucusque illustrem natalitiorum Zodiacum perlustro. Ergo moveo cum Tubo Optico ad motum Solis, illucque iterum Vestram palpebram duco, quò se Titan Noster abduxit, dum MARIANAM schedulam Salutatione Angelica inscriptam, velut atomũ ad se adtraxit, & sibi penitus incorporavit. Quid facis o THOMA? quam viam tenes? nonnè oberras, dum velut novus Phaëton, alienum iter arripis? An nescis, quòd non Solis, sed Lunæ, & quidem Lunæ MARIANÆ id Cælum est, quod Tu, cum quadrigis Tuis invadis. MARIANUS Planeta istam sphæram sibi sacravit, dum pedibus Virgineis sese subjecit. Ut quid ergo Solem hunc vehens, in messem alienam, falcem Tuam immittis? An quia Sol es, ideoq; Lunam quoque MARIANAM illustrare contendis? Non eget illa Tuo Lumine o THOMA; quæ ut Numine, sic & lumine ab ortu suo plena est. Quod si de novo luce indiguerit, satis splẽdoris à Sole Justitiæ habebit. Sed parcite novo in terris Phaëtonti discreti Auditores. Juvenis fuit, quãdo

hæc

hæc fecit. Adhuc in faſcijs jacuit, quid mirum quod equos effrenatos, nondum bene moderari valuerit. Lactantem Matrem advertit, Lacteam viam putavit, diſſimulandum eidem, quòd hoc iter arripuerit. Sol ipſe Juſtitiæ hanc viam tenuiſſe creditus. putavit Infans, quòd idem ſibi liceret. Vultis ſcire, quis in cauſa fuit, quod in MARIANUM Zodiacū diverterit? Motrix Intelligentia. Gabrielis enim motum Ille ſecutus, quò illum duxit, illuc pervenit. Quanquam, nec extra ſuam ſphæram aberraſſe cenſendus THOMAS, ex quo enim Zodiaci Signis, Virginem etiam Matheſis annumeravit, juremerito in Virginis Signum, Noſter Titan divertit. Suppuduit Infantem THOMAM, Cæleſtem ſuo So, le non veſtire Virginem, poſtquam Luna Cæleſtis ejus ſeſe Virgineis ſubſtravit pedibus, currebat feſtino curſu, ut vel nativo Sole inſtar veſtimenti eam veſtiret. Iterum hic Auditor revocata Ezechielis intueris tempora, vel in Mariana abſumpta ſchedula, Mulier amicta Sole Aquinatico, Signum Magnum in Cœlo. Hoſpitari non nunquam Sol ſub aquis, à modo Aquis Marianis pandit in ſe hoſpitium. Illuſtrata hactenus à Sole Luna, à modò Solem Aquinaticum illuſtravit; cùmq́, Ipſi è vicino poſita de more Eclipſim inducere debuerat, clariùs illuminavit. Habet & hîc de Aſtronomi notatu Sol THOMISTICUS Comitem Stellam, ſive MARIAM Orienti Phoſphorum, ſive Occidenti Heſperum dicas. Gaudete Theologi, gaudete: prope jam Veſtrorum Votorum æſtas eſt; Si Sol THOMISTICUS in Virginis Signum deſcendit, jam Auguſtus, hoc eſt Meſſis Lauruum inſtat. Quam fertilem meſſem promittit, vel ex aſpectu tantorum Siderum conſtat. Vultis ſcire, cur radijs proprijs Sol Aquinaticus Nubem Marianam ex Oceano gratiarum ſurgentem: irradiat? ut illam in pluviam reſolvat, Palladiſq; ſacram terram inundet. Si THOMISTicā Lucē Sidus Marianum modificat, bonum omen, quòd annus fertilis erit. Et certè Aquinatico Hyperioni ex Gentilitio Aquario eggredienti, non aliud magis arridere poterat ſignum, quàm quod ipſi Soli Juſtitiæ eſt ad placitum. Præterijt Piſces lumen hoc, immo Sol ipſe Doctorum, vel ideo, quòd deſtruant Scholares. Arietem Martium, non niſi in Regia Majorum purpura, illiſq; Cunarum in pannis, complexus eſt; ne quòd bellicus eſſet, tranquillum Solis influxum, ſuis cornibus perturbaret. Aprileum in alieno non niſi, hoc eſt Palladi Sacrato Horizonte reſervare viſus eſt Taurum, ſuo tempore domum illius ingreſſurus, cùm Bovis muti formam fuerat relatur⁹. Retrocedētē Junij Cancrum retro reliquit, vel tunc potiſſimùm, cùm inſtar Cancri, manibus pedibuſq; per terram ſerpſit, ut Chartulam Marianam humi ſerpentem abſumeret. Geminos vel cum geminis deſuit Fratribus domi, ne non renuntians proprio ſangvini, CHRISTUM ſecuturus, argueretur, ſi inter illos domi commoraretur. Solum forſitan in Leonis Signo, demorari commodè poterat, quod illi, tot Heròum, quotquot Majorum fortitudo, ſua in Regia adumbraverat. Tranſeunter tamen percurrit inſigne iſtud Signum, vel ideo quòd exuviæ illius Herculem magis, quàm Solem decerent, obumbrarentque potiùs, ſi ſplendores ejus tegerent. Quaquam ſignum etiam Leonis, & quidem Leonis de Tribu Juda ingredi viſus, cùm Mariana Salutatione unionem Hypoſtaticam erat adeptus. Quare nihil reſtabat,

niſi

nisi ut Signum Virginis occuparet, in domoq; illius tantisper stationem suam figeret. Non errâsti THOMAS Divinissime non errâsti dum in Signum Virginis oberrâsti. Nunquam enim meliùs Tuis splendoribus providisti, quàm cum nativum Lumen, Parenti increati Luminis concredidisti, quæ ita suvm Lumen toti Orbi pulchrè dispensat, ut nullus sit, qui se à calore ejus abscondat, influxumq; ejùs beneficum non percipiat. Oritur enim Sidus hoc, tam super justos, quàm injustos, pluitq; tam super bonos, quàm super malos. Quare gratulor Tibi Phaëton Aquinatice, hanc stationem in Domo Virginis fortunatissimam, quòd nimirum vix mundo ortus, illuc felicissimè jam perveneris, in quo pũcto, fortunæ Nostræ Meridies innubis stetit. Videte Astrologi, in quo jam elevationis gradu Titan Noster consistit? Nempe ad illud jam eluctatus est punctum, circa quod totum volvitur Cælum, à cujusq; revolutione, tota mundi Machina pendet. Sed quid est Auditores? Vix altius ad Meridiem vitæ lucisq; eluctati Sol Aquinaticus cæpit, & jam in Hesperum immo & noctem Benedictini Nigroris declinavit. Quid facis Aquinatice Titan? itanè citò occidis? Non pridem gloriosus Oriens mundi tenebris illuxisti, & jam ut video occumbis? Proh dolor! Quis Hesperus Solem Nostrum abduxit? Quis Prometheus lumen nobis subtraxit? An iterum Thyesteas Hyperion refugit mensas? aut Gigantomachiam imminere prævidet? & sic in Antipodas abit? Quis peto Cæli Oculum Religiosi Nigroris noctibus obvelavit, tantamque cæcitatem Orbi Universo induxit? Ergonè mundus iterum in tenebras abibit? Ergonè faciem abyssi perpetuæ tenebræ cingent? Non ita nobis ex aspectu ejus ominabamur, dum Ortum illius accuratiùs observabamus. Orbem Universum illuminari ab illo sperabamus, & modo contrarium videmus. Sed bono animo Auditores adhuc in die, quia in luce Solis Aquinatici ambulamus. Adhuc lucem THOMISTICAM habemus, & si ipsum Solem in mundo amisimus; si tamen amisisse dicendi sumus, qui palam in Nubibus Benedictinis, super Cassinum eundem intuemur. Nempe non occidit Sol Noster, sed tantum inter Nubes sese recepit, ut vel post nubila, oriretur serenior Phoebus. Tenuẽ Nubẽ subijt, ne crescente calore aliquem adureret. Nigroris, Religiosæque Modestiæ ultro velum opponit, ne ex aspectu quotidiano, oculis mortalium vilesceret. Virginis Signum nuper egressus erat, Libram Septembralem quæsivit, quam illi Virtus Sanctitasq; Benedicti in Cassino præscripsit. Non pridem mundo exortus erat, ne oculos mundi lateret, more Orientis, Montibus illucescere priùs debuerat. Inter Rosas Benedicti, spinas quoq, Virtutum vidit, pro radijs illas assumpsit, ut pulchriùs clareret. O boni Superi! quantum ille in Statera virtutis non radiavit! qubus ille Virtutum fulgoribus totum Montem non cinxit! Obvelabat quidem Religiosa Modestia splendores Sanctitatis illius, sed vel hoc hoc ipso, instar Stellarum Solem suum circumstantium, ad Noctem Nigroris, pulchriùs coruscabant. Occultabat humilitas, innatas Virtutes ejus, sed illæ per densas etiam verecundiæ nubes, velut quidam radij sese prodebant. Oriens quidem ætate THOMAS erat, sed plusquàm Meridiano Sanctitatis splendore illum Olympum irradiabat. Undè cùm splendores illius, unum capere non valeret Cassinum, Neapolim

sese

sese THOMAS Noster recepit, ut in novo Polo, novus SOL præluceret. Gavisa est Neapolis, cùm novum, & quidem rarioris splendoris in suo Horizonte conspexerit Astrum. Phœnicem se inter Phœnicẽses reputasset, si illius aspectu longiùs perfrui posset. Haud tamen id facilè obtinere potuit, exquo ad suum Cælum, DOMINICI Phosphorus, Nostrum SOLEM abstraxit. Ergo Arcticum arctioris quia Religiosæ Vitæ SOL Aqinaticus ingreditur Polum; & quidem illum Polum, quem & Auroræ DOMINICI insignit & qui Syrio, in Cane prorsus Cælesti, præditus est, ut nimirum tantùm tamq; procul à terrenis fulgoribus distaret, quàm proximè ad Sidera DOMINICI accederet; quæ nihil prorsus terrestre præseferre videtur, cùm & candido colore, & Nativo Splendore, referta sint. Didicerat ex alto, caducam hujus mundi gloriam, in fumum, ac tetram fulginem degenerare. quid ageret? illustri majestuosæ eminentiæ sese concrederet sereno? periculosus hic fulgor, in fulgura quandoq; desinit. Serenissimis augusti honoris, radiaret splendoribus? sub luce lugẽ tegunt, nihilq; præferunt candoris ejusmodi luminaria. Dignitetum sublimis prærogativæ appeteret Cælum? Vicissitudini subjacet. nunc in fulgura, nunc in fulmina, nunc in tranquillum exporrectus Polorum ambitus. Exæstuantem honorarij Cæli assumeret flamam? Inanis hic nitor afflugens, nidore terminat jubar. Sprevit igitur, Io! repete facundia, sprevit fatuos honoris ignes; sprevit infatuata terrestrium Cynthiorum lumina; sprevit tenebriones dignitatis splendores; ut extingvi nescia, illuminaret Orbem luce; nunquam in Eclipsim tendenti illustraret terram claritudine, ipse sibi Serenissimus Phœbus. Erraticos in sublimato honorum tractu didicit Planetas; vitiosos in Diadematum sphæris annotavit circuitus; fixum igitur radiantis DOMINICI in fronte Stellæ, arbitratus lumen, & in Religiosa Cella, Cælum ratus, illuc vultum & lumina confert; Meridiem luminis præferre vel ex ipso candido noscendus amictu, siquidem Titan mane rubet, terraq; rubet, dum tendit ad ima, candidus in summo est. Et cui quæso adscribi debeat Cælo, SOL Aquinaticus? si non Vestro Prædicatores Sacri Stellato Firmamento? ut potè tot luminibus claro, & omni ex parte diaphano. Totum hoc Cælum, Meridionalibus video coruscare splendoribus, ut non immeritò Meridionalis dici merearis Populus, qui per rectã lineam sub Planeta isto manetis, in totũq; mundum, lumen Cæleste fidei dispensare sufficitis. Et cur adjectũ Vestro in Cælo more Phænicensium adorare non liceat Solem? ut planiùs constaret, Vestrum Genus, cognatum Cælis, Astrisq; consanguineam DOMINICI Familiam. Habetis Vestro in Cælo, quo cum Firmamẽto contendatis Splendore, Virtute pares: immo impares, vel ex eo, quod Vestro in Cælo & Virtutes & Potestates Supremas, & Angelos hoc est Motrices Intelligentias numeretis; cùm tamen non in omni Cælo tantos splendores videamus. Gratularer hunc Tibi Sol Aquinatice in DOMINICANO Hemisphærio situm, nisi vicinas Tibi ex Gentilitijs Flumibus præparari nubes viderem, quæ Te in arrepto turbabunt Cælo. Gratularer in Meridiana Auge constitutionem, nisi quia in alieno positus Orbe, proprium in tenebras traxisti, à quibus Eclipsis, Tuo imminet sereno. Gratularer in plenitudine lucis ascensum, nisi quia illa Prosapiæ Tuæ Sidera, quæ à Te nativum sueverant mutuare lumen, in luctu &

ſquallore conſtituiſti, & ſimul Te in periculum conjeciſti. En proxima Tibi Plejas Theodora, Tuo viduata radio, in lacrymarum diffluit nimbos, velutq; Luna ſeſe Tibi opponit, ſive ut Te Cornibus ſuis de ſublimi detrahat, ſive ut Eclipſim Tibi oppoſita, inferat. Quidquid eſt, infallibilis Tibi occaſus ſtruitur. An neſcis? tunc vel maximè occidere Soles, cum exoriuntur Vergiliæ? niſi Parenti pareas, & Nativum illumines Solum, luminis Sole, & Meridiano, in hoc novo veſtitu, deſtitueris Candore. En Arnoldus cum Landulpho, Martem cum nonnullis exiſtimantes Solem, vel cum Perſis, militare ad bellum agnoſcentes ſignum, armata in Te irruunt manu. Irrides veſaniam? quia nullum in lucem cadit telum? & ignoras, Prometheum Solem Cælo furari potuiſſe: Time inſidias; detraheris Polo vel invitus. Si globum igneum Te reputas? & vel inde ſacrilegas manus comburere Te poſſe arbitraris? Salamandra furor bellicus eſt, in medios ibit illæſa æſtus. Si Cæli Oculum Te exiſtimas? nõ crede vigilantiæ, centũ prætulit lumina Argus, & tamen eluſus eſt. Si Te Lampadem mundi cenſes? extingvuntur incendia, quidni flamma? Si amica Soli lumina, Caſtorem & Pollucem hos Fratres dicis? Oreſtem & Piladem audi, en in Te pila dari inclamant. Ergo in tropicum vel invitus deſcendito Cancrum, & retrogrado jubare, fluenta Nativa, illuſtrato. Compulſus eſt retrocedere innocuus Titan, & loco Cãcri, in Carceris coactus deſcendere ſquallorem. Erravimus Auditores, erravimus! dum pro Regia Solis, in umbras Carceris oberravimus. Domum Octobralis Scorpij, ex Libra Septembrali, quam nobis vita, Virtuſq; Religioſa præſcripſit, progredi debueramus: & ecce loco Scorpij, in ſcorpiones, flagellaq; à Theodora parata, infeliciter impegimus. Viam quidem lacteam, in candore Materno, nos invenire ſperabamus, ſed in Flamminiam, hoc eſt ad Occaſum, & quidem perpetuum, ducentem, incurrimus. O Gallaxiam infeliciſſimam! non tam ſplendoribus illuſtris Generis, quàm tenebrionibus, tenebriſq; inſidiarum inſtructam! O Halonem tanto Sole indignum, quia ex craſſis nimis vaporibus, de Fluminibus Aquinaticis procedentibus præparatum! Videte Aſtrologi, quanta Signa Solem Noſtrum circumſtant! Loco Scorpij, ſcorpiones; Cancer in locum Cãcri; pro Zona Cæleſti, compedes, pedibus THOMÆ præparatæ. Gemini non alij, præterquàm Fratres germani, velut latrones, viam THOMÆ præoccupantes. Pater Saturnum agit, Mater Heſperũ in Noctẽ virtutis, lumen THOMISTICUM abducentem. Sorores ferme Plejades ſunt, velut Phäetontiades, caſum infeliciſſimum, Hyperionis proprij deplorantes; & vel hoc ipſo, ſerenitatem illius, imbribꝰ flectuum temerantes. Quid facitis Aquinates? contra Solem arma arripitis? nunquid lumen illius extinguere cupitis, quia illum ad Joannis Jordanem, in Caſtrum truditis? Quid Vobis fecit, ut propterea ſuffocari debeat? Nunquid aliquem æſtu ſuo aduſſit? Videte, ſi non Bubones aut Veſpertiliones re ipſa eſtis, ſi ſplendores ejus ferre non vultis. At demum ſcire vos volo, quid proficietis, etiamſi THOMAM in Carcerem, & quidem in Carcerem Joannis condemnabitis? An putatis, quia Jordane Joannis, lumen illius extinguetis? Non extingvetis non: quinimo augebitis, poſtquàm radios illius lymphis Cryſtallinis ablueritis. Pulchrior ille erit, poſtquam in tali Eridano Vultum ſuum laverit. Clarius lu-

ùs lucebit, si illius splendores Lucerna quoq; Præcursor's intendet. Nusquam umbræ suo Titani nocuerunt; quinimo illustraverunt illum toties, quoties sese eidem opposuerunt. Sol etiam in tenebris lucet. Virtus quidquid subintrat, illustrat. Si in Carceris obscurum, Solem introducitis, contrahetis radios ejus, lumenq; illius hac ratione concentrabitis. Parùm est, Matrem candidum Religionis amictum lacerasse: ut & candore mentis eundem exueret, Capreæ, sed non Amalthææ, THOMAM obicit; tali medio, sperãs se, à proposito Cæli sui decursu, deterrendum, vel fraudulento lenocinio (licet nunquam ad stationem Soli destinato) ad sua Signa inducendum. Perijsti SOL Aquinatice perijsti! dum in hoc Signum, & quidem infernali cornu instructum, impegisti. Non unum Hyperionem hæc Caprea cornu suo pupugit; nec unius Titanis candidum splendorem laceravit. Eclipsari debuit, quisquis Hyperion in hoc signum descendit. Phâëtonteum coactus lugere casum, quem illa, à lactea candoris via, impetu facto deterruerat. Quid igitur facies, ne in partes illius cedas? More Solis calore Te defende. Ad ticionem accensum, locò radiorum procedas, & fortiter cornu ejus atteras, perfectum Te Meridiem vel inde comprobaturus, cùm illam æstu Soli innato adusseris, refrigeriumq; in Stygijs aquis quærere coegeris. Fecit sic Aquinaticus Titan, locoq; radiorum, vel accenso Scipione Caput ejus adussit, proculq; à proprio Cælo expulit; Astronomos imperitos edocẽs, non ad hanc sphæram signum Veneris pertinere. O Solem splendidissimum, nullam Eclipsim patientem! O lumen illibatum, nulli vicissitudini subjectum! quod nec Carcere obumbrari potuit, nec stygijs fluctibus suffocari. Nunc primo credimus, de Te Doctor Sanctissime Isaiam prædixisse: Orietur in tenebris lux Tua, & tenebræ Tuæ erunt sicut meridies; quando & tetrum Carceris horrorem, virtute Tua in Serenũ commutasti Olympum, & luce Tua plusquàm meridionali, obscænos oculos in Te impudicè cõversos, usq, ad lacrymas perstrinxisti. Videte Aquinates, si non Sol & quidem Meridionalis THOMAS est! qui & tenebras infernales expunxit, & quasq; nebulas, ex fluctibus Vestris objectas, sereniùs illuminavit, immo prorsus axtinxit. Si Illum Martem potiùs, aut aliquod erraticum sidus, quàm Solem reputâstis, contrarium videte, dum Divini amoris Cometas, ejus caloribus accensos in Vestris Sororibus habetis. Quid profecistis, etiamsi stygios fluctus contra eum movistis? Errâstis, errâstis, multumq; imperitos Vos Astronomos ostendistis, cùm hunc Cupidinem, veluti Arcitenentem, in Signum eidem destinâstis; vel ejus radiòs posse coinquinari ab illo sperabatis. Videtis, quid illi fecerit? quomodo velut lanceâ radijs proprijs pupillam ejus perstrinxit; ut, qui hactenus cæcus extiterat, tandem aliquando amota caligine videret, nosceretq; quomodo in posterum hic Prometheus Solem aggredi posset. Neq; enim tale lumen extitit Sol Aquinaticus, ut se in mortalium, & quidem profanos usus, abstrahi permitteret. Date igitur Cælesti Victori debitos plausus, Motrices Intelligentiæ; illibato Lucis ejus Candori, Cælestes ferte adoreas; sique ab Antiquitate Orientem Rosis coronari vidistis, SOLIS AQVINATICI illibatum Meridiem, ipsis Lilijs coronate. Conveniet niveus color, illibato candori; ut post depulsas æternæ noctis umbras, post debellatas turpis a-

moris tædas, extinctas tempestates, non rubicundus; sed candidus appareat. Erigit & ipse sibi victrici panoplia Crucis trophæum, augustam Dominicæ Crucis in valvis formando effigiem; sive ut sub hoc signo, invisa terrestris Zodiaci Signa, nunquam non Victor triumpharet; sive ut per hanc Cælestē Scalā, iterū Zodiacum Cælestem conscenderet, novoq; stateræ Crucis in signo, novus SOL appareret. Eja ergo THOMAS Divinissime! comproba Te verum Titanem, idq; jam ad augem Splendorum accedentem: haud secus ac tacitam Lunam regnantem per Arcton, sidereæ cedunt acies, cum Patre Retuso, æmulus adversis flagraverat ignibus Orbis; tunc jubar arcturi langvet, tunc fulva ira Leonis perit; sic ad Tuum jubar & lacrymabunda Plejas, & Sagittarij Fratres, & Scorpio Avernus, & insolens Capra, obscuretur, caliget, dispereat. Vix hæc Oratorio prosequor stylo, & jam SOL Aquinaticus, omnia executus; dum perfecta luce, iterū atq; iterū Cæleste in Fronte DOMINICI, illustrat Hemisphærium. Ergo ne jam hîc sistere & non ultra moveri in publicum commodum Solem Aquinaticum concedemus? minimè. Movet se, immo movetur ad motum primi sui Mobilis, Parisiensem Studiorum ad Cursum, in Lumen Musarum destinatus. Decebat Victorem Solem, etiam Parisiensibus Lilijs Coronari. Decebat Eclipticam ipsius, etiam per lacteā in Lilijs viā perfici; noctesq; Atticas, splendore ejus illustrari; ut nimirum penes oppositū positus, magis elucesceret, hacq; ratione, in majorem lucem cresceret. Obstupuerunt ad primum ejus exortum Parisij, quòd nimirum prima vice in suo Horizonte tanti splendoris Astrum apparere viderent, ejusq; virtutem hactenus non callerent. Excurrêrunt, omnes Civitatis Incolæ, ut aspectum illius diligentiùs observarent, quidq; in futurum portenderet? inferre possent. Quot capita, tot sensus de illo erant; omnes tamen naturam illius haud attingere poterāt. Nō deerāt in illa docta arena, qui Nostrū Planetā, quādā non nisi subtilem exhalationē, Generis fulgorib⁹ succensam, existimârunt; quasi fatui etiam ignes ad illam supremam àëris Regionem pertingere valerent, ubi oriri Cometæ consueverunt. Alij Hesperum Illum, Lumen Generis in Occasum ducentem dixerunt, vel ideo: quòd nondum bene ad noctes Atticas, nubilumq; modestiæ sibi innatæ, dotes illius, Cælestisq; Lumen doctrinæ, perspectum habuissent. Reperti sunt nonnulli, non bene inter sidera distingventes, qui Solem Aquinaticum, cum Tauri, an veriùs muti Bovis sidere confunderunt; quasi verò id animal, non haberet in Cælo, qua se herba pasceret, proindeq; ad Laurus Parnassi divertisset. Quid mirū, qnòd tam multæ de Uno opiniones forent? cum pauci illorum Astrologi fuissenr, plurimiq; etiā ad Solē, virtutis oculis caligarent. Noctibus Atticis magis quàm Luci virtutis intenti erant, hinc est, quod instar Noctuarum ad Solem cæcutirent. Quanquàm (ut puto) plurimi eorum cōsultò divinitus tenebantur oculis, ne Lumen Cæleste in terris agnoscerent, moreque Promethei sacrilegis manibus surripere auderent. Non terrenæ, sed Cælestis Sapientiæ radijs prædit⁹ erat, quid mirum quòd tenebræ mundi, Lumen Divinum non comprehenderent. Libenter tamen Noster Aquinas, & Cometæ agnomen, & Bovis muti formam prætulit, cùm una ex parte instar Cometæ, funestum hæresibus occasum portendere venerat, ex altera, Bovis etiam signum, ad suum Zodiacum perti-

perti-

pertinere videret. Solus Magnus Albertus, secretum magnum non ignoravit, quod citra divinius Astrolabium, didicerat Motrix enim Intelligẽtia sphæræ illius erat, & aliundè Solis prodigium in THOMA vidit, vel maximè, quando mutum suum Memnonem, hoc est arte elaboratum caput, in datum salve radijs proprijs animavit. Quid est ô Lumen Sapientiæ! ad hocné in mundum veneras ut lateres? cur Te potiùs Solem Doctorum consultò ad mundi discutiendas tenebras, cælitùs missum, non manifestas? quid facis? in uno Bovis signo ita diu consistis? quare Te ulteriùs vel ad Libram Cethedræ Doctoralis non moves? iam ad supremam Luminum augem pervenisti & adhuc in modestiæ nubibus lates? Ergo perfice cursum & siste gradum in Divinitatis Apogæo. Cathedram velut Libram laureatus conscende, ut tunc mundus expendat, quòd non frustra reliquo omissò corpore, Tuo Soli Caput appingat. Si Sol es? non decet Te latere, Lumenq; Tuum sub modo abscendi; pone Te supra supremum Candelabrum, totumq; in Orbem Lumen Tuum diffunde, auream diem erudito sæculo vel inde invecturus. En tot Cimeriæ totam terram inundant; en tot erronea dogmata, faciem ejus velut noctes circumdant; nisi SOL Sapientiæ ejus tenebris illuxeris, peribit, lucemq; veritatis penitus non videbit. Exoptatum lucis Tuæ exortum non unus mutus Memnon expectat, ut Tuis radijs in arena Palladis animatus, linguam suam relaxet. En Princeps Philosophorum Aristoteles hucusq; dormit; noctem se perennem nancisci arbitratus, quousq; illi Tua dies non illuxerit. Obscura fides ubiq; est, quousque illam non illustras. Claræ nimis tot Hæresum Cimmeriæ, quousq; illas non abscuras; ac velut fumosas inferni faces luce meridionali non extinguis. Ut DEUS clarè in terris videri possit, à Te lumen requirit. Ne cito ex oculis mortalium elabatur, tabernaculum in Sole Tuo reponere intendit. Ergo ex domo Tauri, in domum Libræ conscende, vel saltẽ cornua Bovis in radios assume; quidquid obscuri radijs Tuis attigeris, facillimè expunges, ac procul ab Orbe erudito eliminabis. Fecit sic Aquinaticus Tytan: quiq; antea, ut Tauri Cæleste sidus, cornua in oculis hominum præferebat, in radios eadem postmodum transmutavit. O fidem superum! quas ille Hæreses his cornuum radijs non pupugit! quas mundi ad partes ijsdem non pertigit! Quas Cimmerias splendore illorum non expunxit. Intra Cellam Doctor solitarius latebat, & velut Cœlestis Tytan Doctrinæ luce totum mundum irradiebat. Atram sepiam in chartam profundebat, & velut quibusdam radijs oculos omnium perstringebat! Abscondebant se, per lucos ac nemora Academica errorum umbræ, & ipse easdem, more Hyperionis Meridiani, inter etiam opaca corpora, investigabat. Sub terram more Gigantum Hæreses fugiebant, & ipse per montes etiam, occultâ taumaturgâq; sibi virtute, ad mentes exurendas ipsorum, pertingebat. Quod si aliqui ad Stygias aquas in refrigeriũ confugerent, non deerant nativo illius Cælo erudita fulmina, ut eos fulminaret. Senserunt æstum Solis illius Arius, Calvinus, Lutherus, Gentiles, aliaq; inferni Monstra: sicq; sensère graviter, ut unâ Buceri buccâ, exclamare cogantur: Tolle THOMAM, & dissipabo Ecclesiam. Quot puncta scripsit, tot puncturas eis impressit, quot versus annotavit, tot evibravit radios; & quidem ita

 inten-

intensos,ut absq; etiã Diogenis vel Cleanthis lucerna, noctes ipsas Atticas, ad splendorem illorum, quilibet legere possit, Experimini Theologi! si non illius luminis effectus est, quòd clarè DEUM in terris videamus, aut ad caliginem Logicæ non caligemus; nisi enim Lumen istud Gloriæ in terris haberemus, velut Athenienses noctuæ, ad lumen Cæleste cæcutiremus. Ejus meridionalis lucis effectus, quòd altæ ceciderint de Vaticanis Montibus umbræ; attributũ illius, quòd Orbem Christianum, nullæ cingant Nebulæ. Sed quid ego in illius Meridionali luce moror? cùm jam Occasus Solis sit. Ergo vado post Meridiem ad Occasum illius diligentiùs observandum. Occasus SOLIS Aquinatici fuit, dum THOMAS Fossæ Novæ apud Cisterciensium Familiam, in Anno Jubilei occubuit. Quem ne Hesperus suus non præcederet, tribus ante mortem diebus, sidus quoddam Cæleste ei comparuerat, quòd eumè Vita e vocabat. Sed quid est Auditores? ergonè in tenebris terram nostram reliquet? minime. En nobis in locum proprium, tot sidera succendit, quotquot Successores suos reliquit. Occidit quidem sed non eclipsatus est. Disparuit nostris oculis, sed non lumen amisit. In tantum sub terram ivit, ut more Solis, Antipodas etiam visitaret, lumenque Sapientiæ præfato Horisonti inveheret. Ivit, ivit Hæsperias Phœbus in undas, sed secreto tramite rursus, currus solitos vertet in Ortus. Quamquam toties hic Orientem THOMÆ videmus, quoties summam Theologiæ ejus, vel Opus eruditum aliquod, præoculis habemus; non sic enim à nobis absens est, quin non in nos influat, moreq; Solis in distans agat. Quare gratulor Tibi Orbis erudite Lumen hoc benedictum; gratulor SOLEM hunc Sapientiæ Divinissimumi, à quo habes quod hactenus ad nutum illustreris, extraq; errorum Cimmerias habites. Non invideas jam suo Cosroæ Cælum, quando illud in pectore THOMÆ, habes cælatum; Non invideas antiquo, antiqua miracula Orbi, quando per THOMAM, velut per alterum Darium, Solem Cælestem habes in terra captivatum. Hunc vero etsi stellato adumbrare concessisti Ordini, non obscuraris, sed quinimo illustraris; Phœbus enim Stellas Carmeli concernit, Solemq; suum Sidera norunt. Quia verò Sole occiduo nihil restat quod ultra videri possit, hic Novus Astrologus suam observationem terminat DIXI.

GEM-

GEMMA DOCTORUM UNIO AQUINATICUS,

In Gentilitijs ſuis Aquis INVENTUS, Ad Michàëlis Bilancem EXPENSUS AC Ad digniſſimi Auditoris aures PROMOTUS.

à FF. CARM: DISC: COLL: CRAC: SS. MICH: & JOSEPH S. Th. AUDIT:

Anno quo Virginis Concha, Unionem Hypoſtaſis in Utero concepit. 1714. 7. Mar.

ORATIO.

EXtra Atlanticum etiam Mare, Unio legitur. A. S. Gelidis nempe diu decoctus algoribus Orbis, iterum gratioſo vernans rore, undiq; gemmatos Margaritis fundit orbes. Efſero terram domuerat partu Zona glatialis, ſed Scythica quoq; brumalis Urſæ barbaries, manſueſcere cogitur, Sole in arietem declinante. Gelato adſtricta gemuiſſet compede æquorea Thetys, ni torrido Phàëton togatus vellere, pluvios ſiccaſſet in ſudum nimbos. Fruſtra etiam undis bene inſueta Neptunine pretioſam in oſtreis tentaſſet mercem, niſi amico Arietis ſidere, temperatæ nubes, Cæleſti rore conchilia fæcundaſſent. Obliquos incuſaſſet Solis aſpectus, & Perſicum Clyma, ſi ſterilitate eluſi ejus ſinûs latices, ſine æthereo partu, portus in ſcenicum exponerent riſum, abſq; gemmea tempeſtate. At ubi Stellato radiavit Tytan in Ariete, amænè virenti Teſſala Tempe variantur ſmaragdo: & Æquorum clauſtra reſerat periculis Unio: mihi quoq; non ſine periculo, Aquinatis in Aquis veſtigandus. Et meritò, quæ enim ſpes ſæpe naufraga blauditur ſereno, illa non raró placidam Scyllæ periculis imbuit malaciam, vix magis inconſtans, quàm in labili elemento. Si tamen inter Genethliacos Tuos Diviniſſime THOMA Latices, latere poſſunt, quæ Tuos Clientes opprimant pericula; quandoquidem vix ſecuriùs vadunt, quàm dum per Aquinatici Fluminis vada, expoſcunt bonæ ſpei portum Oratores. Inve-

niet igitur mea quoq; Oratio in Genethliacis Tuis malaciam Undis; fortunatas non inquiret insulas, si Te Nobilissime Aquinatum Unio, inter limpidissimas Tuas Aquas, repererit fortunatè. Ergo à Te Vilis mea, pondus & pretium, exposcit Oratio pretiose Aquinatum Unio. Interim A. S. ut exactiùs gratiosi Unionis ponderet ditissimas opes, stateram benevoli exoptat affectûs.

Provida, an magis prodiga dispensatrix rerum natura, nunquam uberiùs suæ munificentiæ exhausit sinum, siccavit cataractam, quàm dum pretiosas quasq; humentibus in undis demersit gazas. Hauriuntur jam in Aquis absq; discrimine pericula, nec bene potæ extīgũt, quàm avaris animis, gemmeæ Undæ, spumantes bullam, accendunt sitim. Sic pretiosa quæq; muniuntur arduo, & sui desiderij famem, ipsa sæpè reponunt morte suscepta pericula, furori miscendo funera. Haud parcè, præmiant, quorum non raro coronis, Parca est. Funduntur equidem uberiori alveo auratæ opes, quàm septem Ostijs Nilus, in amnes projectus; nam Hydaspes decumana gemmeæ superbit spumæ procellâ; Ganges & Indus, fulvam auro dotant arenam. At Victorem ne speres quẽpiam hac in arena: desperata namq; Victoria est, ubi cataphractas acies, oppugnat aurum. Gratiori hodiè infremuêre fluctu Aquinaticæ Aquæ; detonare visæ non in Cerauniæ partum, sed in Nobilissimi Unionis Genethliacon. Eludit hîc in Majorum Ceris Ceraunium, non inter fulmina, sed inter Gentilitia Aquinatum exortus Flumina, Unio Illustrissimus. Lividus auratos Theon invideat Rhodijs imbres, quibus Genethliacam Jupiter Minervæ fæcundavit diem. Præripiat cæteris laurum, dives in auro Midas, dissolvat fulvam in aurum glebam Hermus:

> Fontem Hermi tactumq; Mydæ pliviasq; Tonantis,
> Obscurat veteres, obscurabitq; futuros

gemmeis humescens Undis Nobilissimus Aquinaticum Fluvius, inter tot Avitas Majorum Purpuras, gratissimum in THOMA devehens Orbi Unionem. Et quidni Uniones pareret, tam strictum inter Reges Siciliæ, & Palatinas Aquinaticum purpuras Sanguinis vinculum, & affinitas? Felicior abhinc Sicilia, postquam illam copiosiori alveo, contractum à Regibus reponentes Splendorem, Aquinaticæ Comitum fæcundant Undæ. Crystalinumætheri non invidebit Mare, ad cujus Regale Solium, amæne means Aquinaticus Torrens, tam propè accessit. Solo quondam famosa Sicilia torre fumosi Æthnæ (si tamen è foco, non fucatus splendor exoritur) meliorem hodie serenatur in fortunam, dum in ejus serenum, immortalis Gloriæ sudum, Serenissimis affinis Aquinatum Torrens, gemmeis desudat cataractis. Quidquid enim inter hos Nobilissimos latitat vortices, plerumque Augustissimos Regum ac Principum coronat Vertices. Quidquid hoc ducitur Aquæductu, non nisi in immortalis Gloriæ portu sistitur, littore conquiescit. Habeat Gyges gemmæ suæ gratiam, quæ illum à Pastoritia clava, è Gregum comite, in Regum evexit lacticlavia. Profundiora in gratiis tibi cultus limpidissimus Torrens, o Regum ac Comitum Purpura! qui, ne aut conciliato Comitum sangvini deesset suus candor, aut ne aureæ Regum Vittæ, sine gemmeo cultu, incultæ essent, Nobilem in tuo Sinu fundit in Comite THOMA Unionem. Bone est, fundant suis latifundiis Gentilitiæ

tilitiæ Comitum Aquæ, ditissimam Gemmam, quam Orbi propinent in salutem. Unio sanè est Comes Divinissimus, quem insolitæ Sapientiæ solitudo, secundoque non concessa Sanctitatis gloriæ Unitas, inter plurimos fecit Unum, nec Unio, nisi unus. Unus planè hicce Unio, qui nativa unionibus indole, solo æthere gaudens, ab utero tanquam æthereum rorem, novi poli dona, hoc est Theodoræ Neapolitanæ, obtinet Genitricem. Nobilis sanè Concha es Theodora! quæ tam pretiosum, tui claustri vinculis, vinxisti Unionem. Crede mihi o Mater! Unio hic molliter lapidescens, non Aquinaticæ Domûs tantum, sed totius Christiani Orbis, angularis Lapis futurus est. Ruisses jam (pace tua loquor) Nobilissima AQVINATUM Domus, communi casu, nisi Te in Gentilitijs Tuis durescens Aquis Unio, immobiliter solidasset. Plus loquor, dissoluta ac dissipata è voto esset, saxea Ecclesiæ Compages, ni Aquinaticus Torrens, hunc illi in Comite Unionem, stabile satis fundamentum, seu vinculum providisset. O Comes Nobilissime! Achatem Te dicerem, non tam in Achate Siciliæ ortum Flumine, quàm cognatis Siciliæ Regibus, Aquinaticis Aquis generosum; cui sociata Ecclesiæ Petra, contra Bucerum, poterit proverbio uti: Nec Hercules contra duos. Quòd si magnitudo Uniones comendat, Tua optatissime Unio, parem non habet; æmulo prorsus caret; qui Materni uteri excedens latitudinem, fascijs Te circumscribi, non permittis. Angustæ Tibi videbantur Cunæ, strictæ fasciæ; cujus indolem, (quasi Macedo esses) nec basilici Comitum fasces, nec Augustus Orbis, capere poterat; minorem suam confessus Orbitam, quàm ut tuam terminare posset Majestatem. Gemmat sub Æthnæ pondere, ingens Enceladus; etiam sub Tuæ virtutis Mole, Orbis fatiscet. Grandior namq; es, quàm ut Te Orbis capiat. Quid mirum? si fasciæ Tuæ suam excusant parvitatem. Decet tamen Te fascijs involui, pretiosus cum sis Unio: ut, qui maxima quæq; Tuâ excedis magnitudine, humanissimus sis erga modica, est necesse. Unio cum sis, inditæ à natura unionibus benè consulis orbitæ, rotunda enim fasciarum Tibi debetur circumferentia. Haud vitiosum rotunditatis Tuæ gemmeæ, Orbis argumentum resumet, si Tuus Circulus, ejus Circulo innectetur. Nisi forte portatricis mavis assvescere manibus, ut non solum Unionem orbitam, sed & Orbem portare assuescas. Ita est, portatur hic Nobilissimus Unio; nec digitos tantum ornat, sed & manus; postea annulos Doctorum ornaturus. Sed o Te infelicem! si dum portaris, permittas humi serpere, Nobilissimæ, quia Hypostaticæ Unionis portatricis Nomen. Ah! grande scelus esset, in terra membranam atteri, in qua quidquid est, magnificum est, nihil tritum. Cælestia sunt, nobilius illis debetur scriniolum. Ætherei Verbi verba sunt, non licet illa in adagium exponere, terræ adigendo. Prò pudor! si pede præmatur, vel obscuro jaceat in angulo, quam Sol vestit. Quid facies Nobilissime Aquinatum Unio? in terram prosilies? obstant gemmeæ manus, quæ pretiosum depositum sat tenerè tractant, cautè custodiunt commissum. Mugies præ dolore, ut Te Orbis audiat? sed modica vox mugitum edere prohibet. In verba erumpes? sed infantilis lingvæ, obstat silentium, non verba, sed vagitum imperat. Immatura est, quin in æternitate adulta MARIANÆ verba Syngraphæ, valeat recitare. Sed quidquid sit, haud segnius capi-

N endum

ndum consilium, ne Triaræ Synodi Cælestia decreta, ad calcem usque ıb calcaneo per contemptum decrescant. Bene est, velox arripuit conlium, & brevi mora defixus, corde revolit, quomodo nobile schedium, ı cordis sui condat laticlavio. Hæret itaq; attonitus primo: dum hæeditarium Augustissimæ Dominæ Gratiarum nomẽ, gratis suppedaneum, d serpentinos damnandum fore passus, magnâ ejus injuriâ videt. Obriuit postea, demum tam gravem irreverentiam dedignatur; fulmina ibraturum crederes, sed dolore tactus, graviter ingemiscit. Verum , THOMA! solve in plurimos lachrymarum imbres, obductam Vulis Tui nubem, ut nubeculæ parvæ plenitudo, à Spiritu acta & aucta, ıb vestigio hominis præssa è vestigio vindices, atq; dissolvas in procelıs. Liquescendum est iterum Tibi in gratissimum rorem Nobilissime Inio, ut Hypostaticæ Unionis nuntia Syngrapha, intra roscidos Tuos aufraga lachrymarum fontes, faciliùs cordis Tui hauriatur vortice. ô THOMA! si Cæleste vis captivare schedium, nubem Te simula; t sub specie labilis elementi, citiùs è portatricis manibus elabaris. Fatum est, gemmeâ oculorum cataractâ, in gemmeos despumat imbres, ratissimus Unio; & illico naufragam in terra syngrapham, propinante bi portatrice, hausit & exhausit, ut sibi precium ejus incorporaret. O ıetamorphosim insolitam! metaphoram inauditam! Unio concham bsumit; Flumen Aquinaticum, MARIANUM Mare exhaurit. O Fæx Conviva! qui tam splendide epularis! crede mihi THOMA, aureæ ,ucülli cænæ, in cænum degerant, dum tam delicata consumis bellaria. Junc in immensum grandesces pretium Nobilissime Aquinatici Flumiis Unio, postquam cum MARIANO Mari, Hypostaticam quoq; Uionem exhausisti, ex utroq; jam Cæsar eris, quia utrinq; Unio. O THOMA! pretiosus es Unio; multa tuam expanduntur retia in capturam; mne gemmarum pretium in Uno Hypostatico Unione exhausisti; quid ıirum, quòd avaros mercatorum animos provocasti. Vide Nobilissiıe Unio! cautiùs portatricis stringaris manibus, aut mundi præsenteris culis, ne furtim subtraharis. Orbis in Tuum conspirat pretium, ergo on incassum Cassini cassibus, acsi diviniori arculæ, innoderis. Nempe nollitus, plusquam Capuæ delicijs, MARIANI schedij bellarijs relicta alatinæ Purpuræ domestica Tyro, Tyrocinio sanctioris vitæ, in Monbus sanctis assvescas necesse est. Juratus & Tu Orbi hostis, quinquens Annibal: si fertilem fecerunt Annibali gloriã, quâ in æternitatis meoriam veheretur effracta Alpium juga, Tibi pretiose Unio, levor triıtarius erit, intra asperioris Vitæ cultum, exculto, ac expolito. Late Orbem non porerit, gemmeus Tuus splendor; qui dum in Montibus is proficit, crescit in apricum, non annulis tantummodo Doctorum, d infulis etiam, ac diadematibus suo tempore inferendus. Minor taıen Cassinatum celsitudo fuit, quin illius in dies grandescens pretium ola capere potuisset. Nempe, qui pusio in Montibus crevit, grandior t emineret, polum petijt. Nesciunt namq; maxima latere in minimis, d ut emineant, alta petunt. Grandis Indoles, non bene parvo suam metitur Majestatem. Neapolim itaq; veluti novum Polum, nobilissimus AQUINATUM defertur UNIO, ne suus novo polo deesset Sideri. Beatior ab hinc Campania quàm dum Peni robur enervares, stabile

bile

bile facta Romani Casùs fulcrum, dum Tibi Aquinaticus Torrens, gratissimum, è ditissimo suo penu, profundit Unionem. Plures jam numerabis Syrenes, nec una Tuæ felicitati blandietur Parthenope, postquam Tuis delicijs, Aquinatici Fluminis, delicias adnumerasti. Universus Orbis, mercator tui erit, quæ in Tuo Promontorio, tam preciosi Unionis, divites opes recondidisti. Sic grandescens THOMAS, vectigali Unionibus levoris splendore, dum in hoc novo expolitur Polo, sub Minervæ Magisterio, in Gemmam Doctorum adolescit. Non solus in gemma annuli Pyrrhus, Apollinem cum Musis deferat, etiam idem concessum Aquinatico Unioni, qui sibi Universum despondit Parnassum. Eruditæ igitur Palladis ad cultum, excultus & expolitus Nobilissimus Aquinatici Fluminis Unio, dignos, quia DOMINICI meruit venire in aspectus. Suaserat equidem Orbis THOMÆ, Unionis mutare colorem, Achatis illi ingerebat vices, ut scilicet sociatus per fœdera Hymen occineret. Sed sprevit THOMAS ejusmodi pretia, timens ne tali fœdere fœdaretur. Providit illi pietas meliorem sortem quàm Orbis paraverat, dum sub candido Religionis vellere, & candidum Unionis colorem non amisit, & plusquam Palatinæ Comitum Purpuræ, quia DOMINICI Instituti, se candidum effecit. Policrati prototypon, constanter ancillantis fortunæ gemmam annuli non invideo, dum in sanctissimo Tuo instituto Illustrissime Prædicatorum ORDO, veluti in Mari, fortunatissimum Aquinatici Fluminis Unionem, demersum video. O Te felicem, Nobilissime Pelagus in virtutum latitudine! in sapientiœ profunditate! in sanctitatis sublimitate (Te hîc loquor Illustrissime Prædicatorum Ordo) qui tam pretiosum Unionem absorbuisti. Crede mihi non septenis Nili ostijs innatantem Ægypti fortunam, sed Aquinaticis innatans Aquis, Orbis totius pretium exhausisti. Non eliquatam Antonio Cleopatræ gemmam, unius Regni pretium, sed Universi delicias Orbis, Regum scilicet decus, nobilissimam Comitum gemmam, tuæ saluti propinasti. Nunc dignissimus, nunc non semel mihi DOMINICUS Ordo eris, dū tam dignissimam gemmam in Comite THOMA, Tuæ Coronæ inseruisti. Noveris o Divinissime THOMA gratissime Unio, nullum Te digniorem, quo Te reponeret Orbis reperit locum, hôc, quo Te inclusum vides. Nam si pretiosus es Unio, hoc Tibi Sanctitatis Mare debetur; in quo si gemmeum candorem exposcis? ejus innocentiæ Te faciet candidatum. Si distinctis coloribus radiare cupis! virtutum varietas, velut penicillus eos Tibi depinget. Viridantis smaragdi lumen requiris? cum hæreditate posessa, Sapientiæ laurus, ultroneè illud ingeret. Carbunculi si quæris ignes? fervens superum amor, zelus salutis proximi, in intenso illius gradu Te constituet. Purpurasces hîc cum Martyribus; byssum, cum Confessoribus deferes; cum Prædicatoribus Verbi, præciosus Unio innotesces. In perfectam Unionum duritiem lapidesces cum Petro; eludes adversantis fortunæ vices, cum Ludovico; vinces cæteras in decore gemmas, cum Vincentio; Cælum indues cum Hyacintho; universus Tibi Honor, & immensa dignitas cum DOMINICO. Si demum eam exposcis, quam (teste Plinio) Uniones in Æquore sequentis Marini Canis stipatu, habent tutelam? hanc Tibi Unio preciosissime, Gentilicius Illustrissimæ Prædicatorum Familiæ, præstabit Catellus; errati-

 cos ad

cos ad scopulos Te allidi non sinet, qui vel Pharum in face præfert. Sed o THOMA Unio præstantissime! quid facis? cur Te avaris mentibus repræsentas? en sæva contra Te detonat mundi tempestas! hostis Tibi tanto gravior imminet; quanto vicinior, quis enim domesticum furem effugit? vel maximè si thesaurum malè abscondit. Vis scire quid Tibi Mater & Fratres molliuntur? En Te surripere gestiunt; viarum anfractus ac si latrones undiq; obsederunt, quatenus Te deprædari valeant. Cautè igitur in via thesaurum istum portes. Unionem Te quidem suum agnoscunt, sed tamen ornare Te Religiosam Coronam non patiuntur, pulchriùs in Mitris Principum tuum splendorem putantes radiaturum, si non annulos tantummodo Doctorum, vel aures Superiorum, sed & Regum coronas, exornabis. Vis scire quid Tibi faciendum? Nempè Unionum morem gere, & vicisti; qui dum procellosum stridet Mare, securi profundo quiescunt in fundo. Migrandum Tibi è Novo Polo, seu veriùs Neapoli, in profundum sapientiæ Æquor, cujus Lutetia Parisiorum, haud luteum fundum est. Ferebatur jam, in hæc latifundia gratissimus Unio, sed proh dolor! dum medio impetu tanquam in centrũ fertur, in subdolã carceris impegit Cõchã, Fraternâ dexterâ, an potius sinistrâ subdolè captivat⁹. Quàm grata Fratrib⁹ fuerit hæc Unionis captivitas? testis est Castri Sancti Joannis præssura; ethymo quidem à Joane deducto, gratiosa, sed re ipsa eo magis ingrata, ac inculta, quòd sua etiam Saltatrice, non caruisset. Verba hîc promet lingva, an tacebit? Harpocrati litabit an Apollini? proh dolor quantum me hoc affligit, dum tantum Orbis literati pretium, in manus prædonum cadit. Quid fecisti Nobilissime Comitum Unio? quòd ideo vincula Joannis meruisti? non quid de pulvere mundano, vel ejus sordibus aliquid admisti? ut propterea ad Joannis Jordanẽ lavãdus destineris. Vide vide o THOMA! si ñ in hoc carcere in Cleopatrã luxuriosam incidisti! cavẽdũ Tibi est, ne dũ Joannis sangvine caret, sitim suam Tuâ gemmâ extingvat: Nõ primùm enim luxurioris fœminis & Regna in gemmis propinare. Quid facitis Aquinates, pretiosi sui sangvinis thesaurum prostituistis? itanè nullibi securius Gazophylacium præterquàm in Joannis Castro, invenire Vestro Monili potuistis? bene est, in Arce quidem sub custodia THOMÆ Unionem clauditis, ast videte, si non hoc ipso, furibus, latronibusq; hunc thesaurum obnoxium facitis. Incassum laboratis incassum! Si ideo illũ in Jordanis Jordanem conijcitis, ut hac ratione, obfirmatum in bono ejus, animum, emolliatis. Cælestis enim Joannis Eridanus, Cælesti Unioni non nocet; videbitis, si non potiùs crystallinis illius aquis, majorem in molem non concrescet, vel sic proprio pondere Vestra molimina obruturus. Frustra & Sorores ad illum convocatis, non enim fletibus illarũ eget, qui nullam maculam in se contraxit, nec habet quòd in illo diluãt. Quòd si excavare illum contendant, faciliùs Alpes Annibalis aceto frangent, quàm ejus Animum in contrarium inclinabunt. Ast demum videte quid facitis? si non jam ante porcos & quidem non tam de grege Epicureorum quàm potiùs Inferorum, Margaritas proicitis? dum impudicam Mulierem ad labefactandam pudicitiam THOMÆ introducitis. An putatis? quia liquefieri ad ignes Cypridis hanc Gemmam facietis? Non liquefiet non, licèt si quidem Aquinaticus hic Unio sit, nihil tamen

in se

in se humidum multò magis frigidum habet, quem Amor DEI intro bene compinxit! in Virtutisq; natura fortiter solidavit. Monstra Inferni THOMAS non timet: qui contra quæq; adversa, more adamantis, benè obduruerat. Quod si in aspectum infernalis Medusæ eum venire contigerit, solidiùs ad vultum illius in bono lapidescet. Appage indignum Scælus! appage erebi larva! non dico gemmâ, sed nec quidem Conchæ nomine digna, quæ turpiter velut infernalis carbo nigrescis. Appage cum fluvio Stygis! non talibus, Nymphis Noster Unio cognatus est. Si in aquis, ut pote Aquinaticus ex natura conservari exambit? nobilius Flumen, quia Eridanus Cælestis pridem ei in centrum cessit. Numquid pectus tuum ornari hoc Monili exambis? aut inserere eum Tuo Annulo cupis? non terrestris, sed Cælestis Noster Unio est: in vanum candori ejus sic avidè inhias: sicut parem non habet, ita comparari non potest, multò magis alteri sociari. Turpe illemonstrosumq; Medusæ caput non ornabit: qui non nisi Cælesti Sponsæ in decus cessit, ut eam sibi subharrharet. Nil illi innocentiâ vitæ carius; puritatè candore pretiosius nihil. Gemmeum illud decus, quod in ortu receperat, æternùm conservabit. Hem quàm refractariam Vertumnam hæc mulier induit, ut pessimum intentum, ad effectum reduceret. Accedit propius ad THOMAM, ut illi hic Unio cedat. Concham se simulat, ut hanc Gemmam absumat. Mille artes adhibet, Sponsam se etiam offerendo: ut sibi eandem subarrharet, hacq; ratione, omni pretio THOMAM Aquinaticum spoliaret. Quid facis ô THOMA, quousq; sacrilegam toleras? Non times perniciosum Tui Unionis prædonē? Si amplexus promittit, compedes dabit: ut Te ligato, faciliùs opes Tuas auferat. Quid est? ergonè gemmeum decus, Scælus nefandum exornabit? ergo ne niveus candor, infernali carboni in stupam cedet? Ad arma! ad arma! profligandus omninò hostis est! quousq; non ceciderit, hucusq; ex acie non cedet. Sed non eget stimulis, quem virtus stimulat, & cui pro calcari, egregia indoles est. Vidit hanc optimus Luctator, & exhorruit; non quòd de victoria, & suo pretio desperaret, sed quòd tàm monstrosum haberet hostem: qui quamvis fronte careret, adhuc tamen gemmis eam, & quidem Aquinaticis, ornare voluerat. Quare arrepto è torridis prunis titione, meretriculæ caput verberat, tundit, tundendo ictus geminat, geminado procul à se retrudit: novo prodigio Mystas Naturæ edocturus, non silices tantùm, sed gemmas etiam, ignibus scintillare posse, si malleus vel pressura illas allidat. O Victorem gloriosissimum totius Orbis theatro dignum! ô Gemmam Doctorum millenis Coronis coronandam! Videte Philosophi, quanta jam Gemmarum virtus est! sese ipsas velut pyrobuli accensi ab hoste vindicant, nativoq; candore, etiam Inferni atrorem vincunt. Quantus jam amor primo contrariorum est! ignis aquam defendit, aqua ignibus pugnat. Quis diceret quòd focus pro Tethyde pugnaret: atrorque carbonis, gemmeum candorem udjuvaret. Mutarunt elementa fidem, priùs igne celebant omnia; nunc ipso frigus ab igne venit. Vicisti THOMA vicisti! Redi Triumphator in Capitolium, quod Tibi Virtus in conclavi erexit, torrisq; columnas dedit. Tu mihi à modo pretiosissimus Unio es; omne Uniorum genus excedis, dum velut adamas; & li-

quefieri ad ardores inferni non potuisti, & candorem nativum ad aquas Stygias non amisisti. Quapropter dignus es, non annullis tantùmmodò inferi Principum, sed Coronæ Cælorum: utrisq; proinde innectaris. Cape igitur vel ab Angelis sublimes Victoriosi Honoris gradus; præfer Tibi Regalibus sceptris, triumphatorem Scipionem; scande pro Pegaso famam egregie Bellerophon; qui in una muliercula, & Stenobæam, & Chymæram triumphasti. Veneror Christianæ Achilles, non hastam in aris, sed in focis tuum titionem; Tu mihi non Stygijs, sed Gentilitijs tinctus Aquis, sacroq; Baptismi fonte immersus, locum in Te vulneri non dedisti. Clypeus Tibi iste Scipio est: qui Te velut Concha Gemmam protexit, ab avaroq; Sycionio, in fundo fluminis, intactum conservavit. Vicisti vicisti PhædramHippolite castissime! Triumpha in tuis ignibus Sanctissime Scævola; cui proinde date tubas ad Patricias Aquinatum Undas festivi Tritones; natam è spuma maris ad ignes Venerem; ignibus triumphavit Salamandram. Sed quid adeò hoscè miramur triumphos? Carbo infernalis, gemmeum THOMÆ candorem ferre non potuit. Igne contra Aquinaticam Gemmam pugnavit: quid mirum quod extingvi debuerit. In lapidem quia in Unionē impegit, nō pedem tantummodo, sed & caput suum offendit. Meretricula fuit: quidni illam, secundum antiquam legem, hic lapis, lapidaret. Stultum est crudum lapidem deglutire tentare; non priùs hanc Gemmam liquefecit, proinde illi in faucibus transversa ut ossis stetit. Misera mulier, in Aquinatico Mari piscari Uniones præsumpsit, quum tamen natare ignoraret: non mirandum proinde quòd naufragium invenerit. Si Syrtes, Scyllas, Charybdes, Simplegadesq; ad custodiendum hunc thesaurum Aquis natura dedit, certè mille pericula bibere debet, quisquis potiri eodem cupit. Noscat nimirùm cognoscatq; insensata mulier, Gemmam Pentarbon cum fulmine ac tonitru nasci; talis & Aquinaticus Unio fuit, si igne fulminavit. Cave Tibi, sisq; alienis periculis cautus, quisquis huic thesauro insidiaris; ē Gusmanicū Canē, loco marini, præfectum custodem eidem vides, nisi in similem morsum inpingere præsumas, illum aggredi potes. Adeste jam cognatæ tanto candori Motrices è Cælo Intelligentiæ! & meliorem in locum, nempe vel in Coronā Vestram, Unionem istum transferte. Si candidæ Angelorum cohortes estis, candorem illius cum levore rariori stupete: puto enim quòd talem Gemmam non dico aliquando habuistis, sed nec hucusque vidistis. Coronā eū præcingite, digniorią; in scriniolo servate. Dignus enim Vestrâ Coronâ est, quem Virtus pulchrè expollivit, malleusq; adversorum, levorem rariorem indidit. Adeste inquam! & meliori securitati illius providentes, de loco carceris, in sinum suæ Religionis, intactum transportate. Unio candidissimus est: à nullis, præterquam Angelicis manibus, idque in somnis tractari potest. Vos igitur ipsum suo sacrario restituite: Coronæq; DOMINICANÆ accommodate. Redditur tandem licèt quidem serius, pretiosissimæ, quia Religiosæ suæ Coronæ Unio desideratissimus; quasi iterato intra Religionis suæ Concham conceptus, quia de avara Prædonum manu violenter ereptus; & sicut olim Evangelica Mulier inventâ drachmâ, congratulantibus Vicinis suis, gavisa est, ita tunc Illustris Prædicatorum ORDO sibi applausit, dum THOMAM Aquinaticū

naticum, unicum Cordis Unionem, ac drachmâ suam, quâ in Aquis Aquinaticis demersam desperaverat, invenit ad lucernam Catelli sui, pectusq; suum ejus splendore decoravit. Prima tamen Gallia tanti candoris ambivit decus, ne Gentilitius suus Liliorum nitor absque gemmeo candore fucatus esset. Parisiensi Sapientiæ in Archivo, Nobilem reclusit Comitem: ut virentibus etiam laureis, gemmeus accederet splendor, hacq; ratione pulchriùs erudita tempora exornaret. Crescente ætate crescebat in dies decus pretiumq; Unionis Aquinatici, utpote intra Nativam Concham ad Hippocrenem Musarum repositi: solus tamen Magnus Albertus, qui magnus Mystes secretorum naturæ fuit, pretium tanti lapidis bene expendit; in qualiq; æstimatione habuerit vel inde constat, quòd suo Doctorali Annulo, inseri hanc Gemmam curaverit, antequam Coronæ Doctorali eam inseruerat. Eminere tamen in hoc Scholastico Circulo noluit THOMAS, non ignarus, quòd nisi lateret, iterum avaros Oculos Mundi Prædonum provocaret. Unde totum suum pretium in profundo Hyppocrenis abscondit, vel in hoc etiam Unionum in profundo latentium, & nullum edentium sonum naturam secutus, quòd maluerit potiùs Bos mutus videri, quàm Os Religiosum propriâ gemmâ non obsignare. Quo nihilominus profundiùs per suæ depressionem descendebat, tantò altiùs ad omnium amores, Regias delicias, Ecclesiæq; ac Musarum coronamentum ascendere visus; sicq; brevi ascendit, ut pretium illius, sublimes etiam Doctorum Mitræ, gemmarum grandine onustæ, Archi-Præsulum Tiaræ, ad sui decus & splendorem, non tantum invitarint, sed invitè quoq; traxerint. Hæc tamen omnia ita recusavit constanter quàm fideliter meruit. Nempe sufficiens sibi duxerat illo decore gaudere, quod intus erat, quodq; omnium oculos provocabat. Infulis tegi noluit, ne gemmeum ejus splendorem obumbrarent potius quam augerent. Non terrenum sed Cæleste ejus pretium erat, ne terrenis Thesauris aliquid debere videretur, etiam aspectum illorum fugiebat: majorem sibi gloriam ratus, si tot Orbes quotquot Annulos exornaret. Et hic est valor Sanctitatis immensus Unionis Nostri, THOMÆ Divinissimi; quod verò sapientiæ ejus pretium? breviter videamus. Si tamen videre perfectè possumus cùm ad fulgores Gemmæ istius, æquè ut ad pectoralem Solem, caligare necesse habeamus. Nempe sublimis Divinissimi THOMÆ Sapientiæ gloria, Summa est. Supra ipsos evecta Angelos omnem dicendi apparatum excedit; Penegyris illi non alia, nisi stupor & veneratio profundissima. Corrumpit, quisquis Unioni illius colorem ab Arte addit, dehiscit sub ejus pondere, quisquis illud ponderare contendit. Pulchrius ille in Annulis Doctorum per seipsum splendescit, quàm depingi videat, quantumvis Appellis peniculo. Comparari non potest, quia & Unio, & Unus in Orbe est. Quidquid Padus Italiæ, Pactolus Lydiæ; quidquid Tagus in Iberia, & in India Ganges; Quidquid Hebrus in Tracia; quidquid Aosis & Mater in Visceribus suis inexhaustarum concludit opum, totum id THOMAS Noster, Unione suo excedit, & longè post se relinquit; qui ex immenso Divinæ Sapientiæ Oceano prodiens, tam divite pretio Orbem eruditum locupletavit, ut non immeritò, hanc omnibus confessione exprimat, meliori quodam pollice DEUM in hoc Unionis Opus incubuisse,

buisse, ut esset aliquid in humanis, quod supra homines positum, omne pretium excederet. Et ne frustra id à me adstrui videatur, si Arcanorum Naturæ Mystes Plinius, Uniones, ex magnitudine & candore, levore & rotunditate, ponderéq; æstimari, & probari vulgavit, ad Magnitudinem Unionis Nostri sufficit vel illa gloria, quod sua rotunditate totum Orbem excedat; tot namq; Orbes, quotquot Doctorales Annulos Unio Aquinaticus nactus est, quibus tamen unus & idem sufficit coronandis. An nō pulchrè suum Unionis absolvit circulū, dū quidquid olim, retroactus Orbis, temporumq; fastus de Sapientia habuit, totum id intra Orbem illius, receptum est. Conclusit in se omnes Ecclesiæ Doctores, conclusit Hieronymos, Augustinos, Ambrosios, Gregorios; conclusit & seipsum, major seipso; postquam & ipsos etiam Angelos suâ Sapientiâ transcenderet. Non invidemus proinde suum Pyrrho Annulum, Musas cum Phœbo ambientem, nec Victori Pompeio Musæum ex Margaritis præstantissimum; admirabilius Divinæ Sapiētiæ Opus in THOMÆ Gemma stupemus, ac veneramur. Non diffiteor ego fuisse olim pretiosissimos in Orbe Vniones. Scio Nonij Gemmam viginti millibus sestertiûm æstimatam; Regis Persarum Vnionē, supra centum libras Auri prælatum; Cleopatræ dimidio Regni; Chinensium Principis, supra omne pretium, quia Orbem creditum valuisse. Ciphra tamen hæc cuncta sunt, si in aspectum Nostri Unionis veniunt. Vnde immensitatem valoris ejus, quisquis contenderet conferre cum Unionibus istis, umbrā Soli, & vile metallum conferret Unioni. Nec privati cujuspiam hic Unionis Aquinatici census est; sed Orbis totius; sed Principis in terris Potestatis; sed ejus insuper Oraculum, qui tam bene rerum pretia novit, quàm in obærati pretium Mundi, ut cederet DEVS, universos penè thesauros Cæli exhausit. Advertit nimirum in sui censum, traxitq; stateræ Crucis appensum Verbum: ut Veritatis Doctorem, aperta, quia nuda in Cruce Veritas approbaret: Unioq; Hypostaticus, Vnionem Aquinaticum in illa Diviniori Statera expenderet. BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. Quid putatis? quanti valoris esse debuerat Aquinatica Gemma; post quam BENE Diuinum in approbatitionem provocaverat, Hominum æstimationem excessit, ipse DEVS ad ejus expendendum valorem, de Cælo descendere debuerat. Quàm bene eundem æstimavit, ex BENE constat. quantas opes, Vnus conclusit, ex pretio sibi oblato inferre licèt. Nempe ut unam hanc Evangelicam Margaritam Mercator Cælestis compararet; omnia bona sua pro illa dedit, quandoquidem seipsum etiam à THOMÆ præmio non exclusit. Quid vis pro laboribus THOMA? Nil Volo nisi TE. Nòn miror proinde quòd tanto sensu Angelicum Doctorem veluti Doctorum Gemmam literarius sequitur Orbis, haud enimvero sequi nō debuit, postquam ipsius etiam Cælestis Sapientiæ appetitum, in suas partes provocaverat. Non stupeo quòd Lugdunense quoq; Concilium Nostrum poposcerit Vnionem; cujus enim interesat, nisi Vnionis Aquinatici, ut dissidium Religionis in Vnionem coalesceret. Sed dum intentum opus impiger aggreditur; omnemq; ad pacificandum Concilium movet lapidem, sibi etiam sepulchralem non immotum reliquit, ad quē in via offendit. Siccine fortunæ Nostræ invisa estis fata, ut Unicum

Cordis

Cordis Noſtri Gemmam, Orbiſque eruditi Monile oripiatis? Eòne rapinæ proceſſitis Fata? ut THOMAM Noſtrum, more latronum in via præoccupetis. Multum inpegiſtis! dum Gemmam Doctorum, totiuſq; Eccleſiæ coronamentum, manu violenta eripuiſtis. Unum quidem THOMAM abſtuliſtis, aſt in Uno hoc Fluminis Aquinatici Unione, omnes theſauros, quos hactenus habere potueramus, in prædam accepiſtis. Quid mihi à modo totus Orbis terrarum ſi non ſola jam ciphra eſt; immo, quãtumvis ſphæricus Orbis ſit, nec ciphram valebit, ſi hunc Unionem amiſit, à quo totum decus ſplendoremque habuerat! Sed nolite Fata incuſare Mortales, adhuc in toto Noſter Unio eſt, nullam illi ſciſſuram intulerunt, quantumvis illum ad ſepulchralem lapidem alliſerunt. Nimirum totus integerq; in Cælum trãslatus eſt; ut illam etiam Militantem Eccleſiam ſuo decore adornaret, nativoq; pretio, ſplendores adaugeret. Nempe multum Cælitibus placuit Unio Noſter, proinde illum terennis theſauris inviſerunt, in ſuumque decus traxerunt. Et hæc non poſtrema telluris noſtræ gloria eſt, quòd non careat, quo etiam oculos adlicere Superum poſſit, Cæleſteſq; theſauros locupletare. Iret in ampliores laudes Unionis Aquinatici imbellis ſuada, niſi hæc infelicitas illius eſſet, quòd ubi in majorem molem pretiumq; iſtud decus aſſurgit, illa viribus cadat. Unde ſuam jam infantiam profiteri cogitur imbellis Eloquentia Oratoris, quòd tanto ponderando pretio, in ſufficiens imparq; eſt. Parcite igitur Auditores quòd hactenus à laudibus ejus ſubſiſtat; Nam quòd & MICHAELIS Statera tantæ Moli, pretioq; ſuccumbat, ipſe ſibi Aquinaticus Unio in cauſa eſt; qui jam ita excrevit in pretia ut totum terrarum Orbem ſua Magnitudine exceſſerit, ipſi tandem Æternitatis Coronæ inſertus. Qui Circulus dum Merita ſua coronat, more Annuli lingvam Oratoris obſignat.

D I X I.

FONTINALIA
more Antiquitatis
INSTITVTA,
SEV
FONS SAPIENTIÆ AQVINATICUS,
ad Cursûs Coronidem,
Floribus Oratorijs, collectisq; in eadem arena Palmis
In Florentissima Dignissimorum Hospitũ Corona
CORONATVS.
à FF. CARM: DISC: COLL: CRAC: SS. MICH: & JOSEPH S. Th. AUDIT:

Anno quo FONS Vitæ, Liliis illibatæ Virginitatis in Terris Coronatus, 1715. Die 7. Martij.

ORATIO.

SAtis jam toto Sexennio Cursûs, de Aquinatico Hippocrene hausimus, nihil jam restat, nisi ut more Antiquitatis FONTEM hunc coronemus. A A. Et quidni coronemus? à quo habemus, quòd fine optato coronemur. Nisi enim hoc Eurippo in horas, inq; momenta reficeremur, puto inter continuos Scholasticos ardores, Olympicosq; decursus, conficeremur in via, antequam metam optatam attingeremus. Carmeli quidem Montem doctæ Minervæ cum suis Sororibus in Parnassum cessimus, ast non alio Hippocrene, præterquam Aquinatico, Musas perdoctas, Apollinē tractabamus. Garganum MICHAELIS, victore passu emensi sumus, ast non alio Eurippo, præterquam FONTE Aquinatico, pondus diei & æstûs, temperabamus. Adhucnè illi Fontinalia, non instituemus? Certè injurij Doctori Nostro essemus, si Fontem Sapientiæ ejus, quem toto sexennio hausimus, incoronatum relinqueremus. Contra ipsius Præceptoris præcepta peccare videremur, si illico gratum ex capite animum, ac pulverem Scholasticum de pedibus, excuteremus. Tantum illi debemus, quantum de eodem bibimus, tantum bibimus, quantùm de Doctrina illius non semel coram Vobis in

publi-

publico eructavimus. Mehercule non unum Eliæ lecitum, nec unicũ Diogenis dolium, doctâ ejus scatebrâ explere debueramus, quandoquidem tantum per fistulas calami haurire eundem opus fuerat, quousque fundum ipsum doctrinæ ex toto non tangeremus. Nec tamen de excessu aliquo reprehendi timemus, licetsi usque ad incalescentiam capitis, bibere eundem præsumpsimus; cùm nullus sit, qui ex hoc FONTE biberit, & non usq; ad sobrietatem animi incaluerit. Nempe, sic calere debet, qui frigere refugit: hocque Fonte madere, cui gustus Sapientiæ, in ore votisq; est; cùm nemo verè sapiat, nisi qui FONTEM istum prægustat, nemo benè scientias caleat, nisi qui Sole AQVINATico calidus est. Magna hæc quidem felicitas est, vel cum Diogene Sole suo gaudere, Fontemq; Sapientiæ domi suæ habere; adeoq; alibi per Cyrrham, aut Parnassum, propter Hippocrenem nõ divagari; ita tamẽ THOMÆ Discipulis propria; ut non immeritò, quotquot illius Nomine gaudent, foris Hippocrenem non quærunt; nec siti cum Tantalo laborant, quantumvis alias ad ardores Scholasticos veniant. Adhucnè illum more Veterũ suis laureis ñ coronabũt? Fõtẽ quẽ hauris corona, Antiquorũ quidẽ lex fuit, sed nemo est, quẽ etiã ñ modo obliget; maximèqui & Sole illius vivit, & de Fonte doctrinæ, prædulces lymphas bibit. Quodsi omnes bibimus, cur non omnes eundem coronamus. Ergo adeste Theologi, accurrite Doctores, & Fontem Aquinaticum, mecum hodie coronate. Dignus enim ille nostris Coronis est, quem Virtus, Sapientiaq; perp. ius coronavit, raraq; prodigia ornaverunt. Si enimvero Rosæ aut Lilia, quas aquas hauriunt, in easdem demissis capitibus propendunt, hocq; modo Fõtes coronãt, certè incuterent Nobis ruborem, ni similia & nobis hodiè persvaderent. Favet coronationi Regius, nam Jovis dies; qui ideo in mense Martio venit, ne careat victricibus laureis, quas eidem deferat. Aderis Coronationi huic Auditor Florentissime; dumq; Fontinalia Aquinatis celebrari in Carmelo videbis, vota etiam Oratoris, tuis Gratijs coronabis.

Licèt si sub nivosâ Arcto constituti, non tamen caremus quo Fontem Nostrum coronemus. Pauperes quidem floribus vel ad hyemem sumus, interim foris non mendicamus: cùm domi apud Aquinatem habeamus, quo illum splendore exornemus. Nempe sive Illustrem, idq; satis prodigiosam Fontis Aquinatici originem; sive occultas, thaumaturgasq; Virtutes ejus, innumerum vocabimus, innumeræ sese nectunt Coronæ, eidem hodie à Nobis deferendæ. Tot eum Coronæ manent, quotquot laudes circumstant; cùm vix aliquid promi de Aquinaticis Virtutibus possit, quod ñ aliquã Coronã redoleat. Quare liberaliores in Coronis erimus, dum laudibus, velut sertis utemur. Prima tamen erunt, quæ originẽ Fõtis Nostri circũstãt post hac quæ Virtutes coronãt. Duco vos igitur ad Originem: hanc enim primo libare debet, quisquis totum Fontem degustare intendit. Si originem Fontis Nostri spectemus, communis AQVINATICO THOMÆ, ac cæteris Fontibus origo est. Sicut enim limpidissimos Fontes ex Oceano promanare, ita Divinissimum Aquinatem ab Aquis nasci, cognatum est. Quippe ut naturam Fontis referret, primum aquæductum Gloriæ à Gentilitijs Aquis, & vastissimo Illustrissimorum Comitum de Aquino Gurgite, sortitus est.

 In flu-

Influxêre in tanti Sangvinis Alveum, & ignei Siculi Fontes, Sceptris, Coroniſq; exundantes; ut nimirum haberet quo ſuum Fontem meus Carmelus coronaret. Et certè non invidemus Lydiæ Pactolum, vel Indis Gangem, Aurum gemmaſq; deſpumantem; quidquid enim alibi natura avaris mentibus per fluvios iſtos diſperſit, totum id Fons Aquinaticus intra ſe habet, adeo: ut quæ diviſa efficiunt alios, ille collecta teneat; tot enim nobiliſſimis exundat Margaritis, quotquot pretioſiſſimis Magni Sangvinis Unionibus. Unde jure merito non laureis tantum Doctoralibus, ſed Principum etiam Mitris, Regumq; Coronis, Hippocrenem Aquinaticum hodiè coronamus, quandoquidem ad Fontem ipſius ſplendores præfatos invenimus. Et certè, ſi taliter pauperes eſſemus ut alijs Coronis careremus, ſufficeret præfatum decus ad Aquinatici Fontis gloriam coronandam, quòd nimirum ex tam Illuſtri origine ortus ſit. Nam licet ſi inuſitata in coronandis Fontibus Antiquis methodo procederemus, puto tamen quòd hoc genere coronarum, omne ſertorum pretium exhauriremus. Sed quia in alijs etiam Coronis non deficimus, unde ad laureas quoque, & quidem quas Aquinatici Vatis Sacrum Nemus miniſtrat, procedamus. Primus Eremita fuit qui hunc Fontem guſtavit; quantum ipſi placuerit, vel ex Oraculis conſtat, quibus eum coronat. Habemus Tibi gratias o Bone Eremita! quod ita Fontem Aquinaticum primus prægustaveris, ut eum non celares: hoc enim ipſo bonum ipſum vidiſti, dum communicabilem alijs judicaſti. Quare non jam Haruſpicum auſpicia quærimus, ut Fontis iſtius futuros effectus præſciamus; ex quo Te optimum Tyreſiam nacti ſumus; qui ita hydromantiam perſecte cales, ut occultas etiam thaumaturgaſq; Fontis Aquinatici virtutes non ignores. Tu primus omnium, non ſine rara felicitate, Fontinalia Aquinatica celebrare meruiſti, dum Dodonâ Tuâ eundem coronaſti. Bene eſt, Fontem Aquinaticum, Nemus tuum coronet; Sertaq; florida, vel ipſa Oracula nectant; nam poſtquā in lucem effuſus fuerit, horti prataq; palmam Vobis præripient, nec (ut puto) locum ampliùs dabunt. Et certè vix præſagia dixi, rem jam probat eventus; ita enim fuſo in lucem Aquinate, cuncta certarim ad coronandum eum currunt, ut & ipſi Cæli totum divitiarum theſaurum in eum profundant. Neq; enim non profudiſſe dicendi ſunt, poſt quam Mare Gratiarum in Schedulam Salutationis ſuæ diffuſum THOMÆ Aquinatico in hauſtum demiſerint. Siccine THOMA naturæ diſordinas ordinem? ut ubi ſinguli in Mare intrāt Fontes, in Tuum Fontem intret MARIA? Siccine auguſta Auguſtini revocas tempora Angelice Puſio? ut exiguâ oris tui fovellâ, totum abſumas Oceanum? Sic ſic, ab Aquis procedens Aquinas, ſolas expetit aquas. Immenſum ſorbet MARIANUM Neptunum, ut habeat unde poſtea Fons indeficiens ſit. Conceptam in faſcijs Tantali ſitim, integro reſtringit Mari, ipſe poſtea Tantalos Sapientiæ refecturus. Affines nempe nomine littoribus litteræ ſunt, Latex iſte non littora tantum, ſed literas lambit, ut in doctum Hippocrenem excreſcat. Fluidum Aquinatis Elementum, in MARIANO Nomine literarum appetit elementā, Doctorum Claſſes poſtea portaturum. Totam Aquis cum Uniones debeant originem, quid mirnm? quòd Aquinaticus latex divinam ſibi junxerit Concham,

Si Phi-

Si Philoſopho teſte, mamilla mūdi Mare dicitur; Infāti Aquinati ñ aliud in cibum ceſſit pectus, quàm MARIÆ. Si Fontes, teſte Philoſopho, de ſubterraneo Mari alimentum derivant, Fons Aquinaticus Mare Gratiarum propinat. Dominari hactenus lymphis credita Luna, à modo Lunæ lymphæ Aquinaticæ dominantur. Repertus olim Hypocrene medius inter Muſas, nunc Muſæ repertæ intra medium Hippocrenis. Intitulatus quōdā à Platone literarū Helluo Ariſtoteles, eundem reipſa Infans THOMAS obligurivit titulum; ideoq; ſumpturus poſthac integra volumina, priùs aſſueſcit chartis. Univerſum irrigaturus Orbem, cuncta abſorbet flumina. Quanqnam ut puto Angelica Salutatio, non alia prærerquam Angelica concernebat labia; liliumq; convalium, non alium præterquam Aquinaticum petebat rorem. Et certè, ſi MARIA Hortus concluſus eſt, Fons illam ſignatus decet. Si Vellus Gedeonis, ros Aquinaticus eam concernit. Si Roſa quædam Myſtica, ad Imbrem Aquinaticum relationem dicit. Si deniq; puteus Aquarum viventium, certè vel impleri à THOMA, vel eum implere debuerat, ut vivis aquis indeficienter ſcaturiet. Vultis ſcire, ad quid ſeſe in Aquinaticum Fontem Regia demiſit Virgo? ut eum delibaret. Tantum ſibi in Aquinatico Fonte complacuerat, ut propter eum deguſtandum, de Cælo deſcenderet. Nec immeritò: Cùm enim amore Sponſi uſq; ad langvorem arderet, Aquinatico Fonte refrigerari debuerat. Quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum, ita & illius anima deſiderat ad Fontem Noſtrum: Summum deſiderium oſtendit, poſtquam totam ſeſe velut Cervus, aquis ejus immerſit. Cave ne quis abhinc Cæleſtem Sponſam nigram dicas! haud jam nigra eſt, poſtquam illam Fons Aquinatis lavit, fuſcumque colorem de facie abſterſit. Dubium tamen eſt, utrinam uterq; plus contulerit? cum aliàs, & Fons Aquinaticus, ab hac Minerva habeat, quod Fons Muſarum ſit, & illa à Fonte Aquinatico quòd ſe velut in Cryſtallo videre poſſit. O ſi ſcires Infans Angelice! quis eſt, quis à Te aquā petit? utiq; Tu ipſe potiùs ab illa aquam petiiſſes, quā ſi quis bibit, in æternum non ſitit. Totum quidem Orbem Fons Diviniſſime, Tuis lymphis ſuſtentas, ſed non aliunde, præterquam à Mari Gratiarum derivas, quòd nunquam in Te deficias. Et mirandum nē jam quòd Fons Aquinaticus, à tot ſæculis perdoctis lymphis totū Orbē ſuſtētet? DEUM cōcluſit qui totum Orbem implet. Non mirandum, quòd Fons Aquinaticus velut quædam Mamilla candore Cæleſtis Sapientiæ, totum Orbem ablactet; ſi Noſtrū Aquinatem ablactaverat ea, quæ ipſum Numē ablactavit. Non mirandum quod Fons Aquinaticus non unius Parnaſſi, ſed totius Orbis Hippocrenem induerit; ſi in Noſtro Fonte, veriùs quàm olim in Caſtalio latice, nata Minerva balneaverit. Non mirandum quòd Fons Noſter Orbi in maligno poſito ſuſtentando unus ſufficit, ſi tota plenitudo Cæleſtis Sapientiæ, ſeſe in illum infuderat. Unam quidem cum lacte Increatæ Sapientiæ guttam de hoc Mari exhauſit, aſt in una gutta, totus ſeſe Increatæ Sapientiæ Oceanus infudit. Unum Unionem Hypoſtaticum obligurijt, aſt in uno unione, in ſui Coronam, totum gemmarum genus, prætiumq; exhauſit. Quid mirum, quòd Aquinas Orbem eruditurum, tantis Sapientiæ unionibus ditet? ſi in ſe theſaurum Sapientiæ habet. Si in Fonte Aquinatico ſedem ſibi Sapientia poſuit, juſtè

Aqui-

Aquinas Noster Hippocrenis nomine gaudet. Non jactet ampliùs suos Antiquitas Fontes sola prodigia profundentes. Fons Aquinaticus, quotquot guttis exundat, tot fermè prodigijs scatet. Solis Fontem quisquis in fabula finxit, hic illum reipsa habet: postquam Sol ipse, cum Sole amicta Virgine, in Aquis Aquinaticis occubuit. Desinant Catalliæ Incolæ suum Fontem jactare, adore suaveolenti, oleoque Scaturientem, ex eo quòd se in illo Juno lavit. Fons Aquinaticus, quali oleo manet? ex Mariæ Nomine constat. Non invidemus Tusculano Fõtes, oculorum doloribus medentes; Tusculanum Fontem Aquinaticus Hippocrene excedit, dum Christianam medicinam in se conclusit. Parum est, quòd de Fontibus Boetiæ, unus memoriam alter oblivionem inducat; ubi Fons Aquinaticus MARIANO Flumine scatet, non memoriam tantum, sed ipsam Sapientiam bibentibus propinat. O Fontem millenis Coronis dignum! ipso nectare, ambrosiâq; præferendum! Et quis Te jam condignè coronare poterit? cui totum sertorum genus in uno Convalium Lilio cessit. Totus Hortus conclusus Te coronavit, Si MARIÆ Nomẽ in scatebrã Tuã sese immisit; juste proinde Tua Fontinalia Orbis eruditus celebrat. Gratulor Tibi ORDO Benedictine Fontem hunc benedictum. In Montis culmine Cassini manes, non dubito, quòd Fonte indigeas. Si Roseto diviniori, hoc est Benedictino gaudes, puto quòd grato animo Aquinatem suscipies. Raro quidem Montibus, suis gaudere fontibus concessum est, ab hinc foris aquam non mendicabis, dum intra Tuum Rosetum, Fontem Aquinaticum habebis. Vis scire ad quid ille ad Te divertit? Ut Hortulum tuum excolat; suisq; aquis rosas illius riget. Dignare igitur Fontem hunc Roseto Benedictino coronare, divinioriq; Benedicti exorcismo, etiam extra Magnum Sabbathum benedicere; quod si feceris, videbis quia ubicunq; aspersus fuerit, fugabit Spiritum sæculi nequam, Mundumq; in Virtutibus fæcundabit. En totus mundus in malignio positus est, velut exorcismo hoc Fonte eget, ut tandem aliquando respiret. Sed & Tibi Illrme Prædicatorum ORDO, Fontem hunc Sapientiæ non gratulari non possum. Fontis ille Sapientiæ si Nomen habet, magnum hoc illius prædicatum, non alibi quam iter Vestra prædicabilia inserui debuerat. Et quis enimvero fontibus eruditis magis indiget, si non Prædicatorum Institutum? Non ex uno fonte argumentari debet, qui toti mundo, Sapientiam propinare intendit. Unus tamen Aquinaticus Vobis omnibus sufficiet; qui unus omnes in se claudit. Parnassum apud Vos Apollo præfixisse videtur; si Musarum Choro gaudetis, & Hippocrene Aquinatico necesse gaudeatis. Aquas Sapientiæ mendicans Vester ORDO, minimè alibi mendicabit, si hunc Fontem habuerit: tam enim in sua scaturigine inexhaustus, indeficiensq; est, ut toti mundo in maligno posito, refrigerando, unus sufficiat. Ergo admittite hunc Fontem intra Vestra habitus Septa; Hortus enim præclarus Vester Ordo est, tot lilijs quot Virginibus Sacer, tot tot Rosis quotquot Martyribus inclitus: tot deniq; palmis, lauribusq; insignis, quotquot Doctoribus, Prædicatoribus, Confessoribus insignibus refertus. Floret quidem absq; contagio hyemis Vester Hortus; sed florebit pulchriùs, si illum Sol Aquinaticus excoluerit, suoq; Sapientiæ Fonte irrigaverit. Si Semiramidis delicatissimos Hortos, per Unum sacrum

Rosa-

Rosarium exhibetis, non dubito quòd Fonte isto indigeatis; cujus lymphis hæc Rosa mystica quondam aspergi voluit, dum se pectori THOMÆ cum Salutatione absumpta intromisit. Si non fæcundabit, saltem vel susurro suo delectabit. In Horto enim divitis, etiam aspectus Fontis susurrusq; illius pro fructu habetur, quantumvis aliàs glebam illius non fæcundet. Quanquam FONS Noster, & fructibus etiam Sapientiæ perficiendis, pernecessarius est; quantum lymphis illius Scholasticus ager debebit, brevi Neapolis ostendet, ad cujus aspectum in silvam laurearum excrescet. Priùsquam tamen Aquæductus Aquinaticus Neapolim deducitur, proh dolor! in via publica, à Matre, Fratribusq; in Castrum Joannis intercipitur. Quid est Auditores? Eòne FONS Noster venit, ut etiam velut Xantus, à malevolis concatenari possit. Talis ne Fontem voluptatis corona decet? Ad talianè Fontinalia venit? Malè vicem coronarum, ferrea catenarum vincula supplent: qui potiùs aureâ torque, si non laureâ coronari debebat. Eòne Theodora venisti? ut more Darij Hellespontum Nostrum catenes? quem potiùs in publicum commodum diffudi facere debueras. An ita in bonum commune prodigaliter difflui visus? ut aliquantulum circumdari, arctariq; deberet, ne totus difflueret. Quod tale gelu Fontem Nostrum constrinxit, ne publico usui patere possit? Heu Matrem publico bono invidentem! privatoq; nonnisi attendentem! Quis terræ motus FONTEM Nostrum absorpsit? An iterum Siciliam suus Vesuvius ita infestat, ut Fontes quoq; ejus extingvat? Quid est? quod adeo strictè Fontem Nostrum Theodora sepiat, ut nullus illum adire possit? Fateor quidem stagnantes aquas vallibus lignisq; circumdari, ne cito diffluant, sed ut Aquam suam conservent; usuique mortalium succurrant. Sed quid purissimæ Aquæ; cũ Aquis stagnorũ? quid Fonti Aquinatico cum palludibus? Stagnis ille comparari non debet, multò magis more ipsorum circumsepiri, quẽ natura, Cælumq; ad hoc providit, ut perfluẽs toti Universo succurrat. Deficere diffluiq; totus non potest, qui totus plenissimus, indeficiensq; est. Ad quid ergo illum Theodora circumdas? ad quid muro abducis? Itane mortalibus invisa es? ut Aquam etiam propter te solam serves? Omne bonum est sui diffusivum, nemo ita avarus extitit, ut aquam etiam gratuitò dare negarit? Commune bonum fontes indeficientes mortalibus natura dedit; & Tu ipsi naturæ contrariam Te opponis? Crede mihi o Theodora non unum Ordinem, sed totum Orbem extinguis, si ut malevola, Sapientiæ Fontem illi denegas. Quod si Aquinatem nobiscum coronare intendis? non muralis illum, sed palmaris corona decet. Dimitte illumq; quòcunq; ille profluxerit, ubique locorum coronas inveniet. Nam quidquid calcaverit, ne dicam asperserit, rosa vel laurus fiet. Quid mali fecit? quòd illum continuò deploras? nũquid aliquem epotus suffocavit? Aut suis aquis demersit? Minime. Sacrilegum foret, si sacro purissimoq; ac innocenti Aquinatico FONTI, quid simile aliquis imponeret. Scio quidem ego complures Fontes nocivos naturæ humanæ extitisse; scio Hierichontinum Fontem, non arborum tantummodo, sed mulierum etiam obtundere fætum, cunctaq; viventia, peste morbisque corrumpentem. Scio Absameam Aquam Indis infestam, quorum pedes invadit, quibus consistit vita. Scio fontem

tem Hierapolienſem projecta animalia exanimantem. Aſt plebeiorum hæc Fontum, non Aquinaticæ Scatebræ friget gloria; qui totus dulciſſimus, omnis infectionis expers; totus ſaluberrimus; Cynetenſium Fonti ſimillimus, qui non ſalutem tantummodo conſervat, ſed morbis quoq; morſibusq; medetur. Quantum ille ſalubris ſit, patebit poſthac, dum in Verbum DEI effuſus, mulierem à fluxu ſangvinis, veſtis contactu, liberabit. Quanquam & Sorores fateri debent, quantum illi proficuus extitit, quarum Uni, Fons aquæ vivæ, in vitam æternam ſalientis factus eſt. Ut quid ergo Noſtrum Aquinatem deploras. An illum lachrymis implere cupis? Non eget lachrimis, qui in ſe plenus eſt. Lachrymas ille non amat, qui potus, nulli unquam elicuit lachrymas. Procul à puriſſima noſtra cryſtallo, quod tradit de Meropum Fontibus Elianus, quorum aliqui lachrymas totâ vitâ ſubminiſtrant. Potiùs ille naturam induit ejus, de quo præfatus Author, quod lætitiam gaudiũq; prælibatus excitet. Fateor equidem plures è dulcib⁹ Fontes extitiſſe amaros; quòdſi Fons Aquinaticus, talis tibi videtur, ſcias lingvam malignâ febri exuſtam, ſaporem non ſentire. Amarum perſepe judicat, quod etiam ambroſiam excedit. Abſamea aqua, fidem ſervantibus, dulcis gratiſſimaq; eſt; infidis infeſta ac amara. Si Fons Aquinaticus amarus Tibi videtur, vide ſi tua perfidia, livorque malignus, id ipſum non meretur. At forſan dicis, quòd tota ſpes tua lymphis illius ſubmerſa cadit Scias, in Affricæ lacu, omnia extant, quæ bona mens injicit; è contra verò, feſtucam etiam paleamq; demergit, quam fæx aliqua coinquinat. Tanarum Fons introſpicientibus, portus & naves repræſentaſſe eſt viſus quod modo non appareant, veſtis mulieris immunda, velum objecit. Quare, ſi & tu in Fonte tuo plura prodigia non vides, forſan tu ipſa tibi in cauſa es. Quid proficies etiamſi toto biennio Fontem Noſtrum occludes? Non ſemper etenim vitium capiunt, ni moveantur aquæ. Purior Hippocrene Aquinaticus in ſuis lymphis erit, quem intra muri ſepta, nullus turbo vel Æolus perturbabit. Parum eſt Theodoram FONTEM Aquinaticum, murorum ſeptis obduxiſſe; etiam mulierem impudicam ad eum in caſtrum introducit, ut eam hoc Fonte tractet. O livorem hominum! o malitiam Matris! Eònè invidiæ Theodora proceſſiſti? ut Fonti Noſtro & quidem illibato ac puriſſimo, ſordes infernales immittas? Siccine Erebi furore ardes, ut ignibus Cypridis extingvere Fontem Noſtrum ſatagas. Novimus equidem quoſdam Victores, ita Regni infenſos extitiſſe, ut agros ſale, fonteſq; toxico infecerint. Vide ſi non eoſdem imitaris, dum hunc Fontem inficis. Parum ne fuit quòd ſerpens calidùs in ſucco pomi, totum genus hominum infecerit? ut uſq; hodiè per te hoc toxicũ propinet? Vidit nimirũ invidiq; hoſtis humanus, puriſſimam Aquinatis ſcatebram, in bonum commune exundantem; Quid faceret? Mulierem veneno Infernali inſtruit, ut ei nocere poſſit. Quid facis THOMA? Ergone Fontem Tuum inquinari permittes? Ergo ne ſitim infernalis Tantali, quem Cypridis ignis ſuccendit, puriſſimis lymphis extingves? Ergonè ſordes Inferni injici Tibi patieris? Vis ſcire ad quid illa huc venit? ut ſe in ſcatebra tua refrigeraret, quæ tota Erebi ignibus ardet. Multum æſtum tolerat, Aquam Fontalem quærit. Ad fontem Boethij venire debuerat, ſed ut cæca in

Ciſicũ

Cisicum, quia purissimum tuum Fontem impegit. Quid igitur facies? More Epyri fontis, faces proprijs aquis accēdentis, pugna, & vinces.. Cæca est, vel accenso titione, ad Stygias aquas eam reducas, novo prodio edocturus, non Epyri tantummodo Fontem, sed Tuas etiam Aquas, faces accēdere, vel accensas extingvere potuisse, si illas quis apponeret. Fecit sic Aquinas Divinissimus, titionem arripuit, succendit, Meretriculæ applicuit, proculq; è carcere eliminavit. O Fontem purissimum! o Scatebram Angelicam, millenis coronis Coronandam! ipsis etiam Superis propinādā; quæ quātū pura in se extitit, tantum fæci sese contrariā objecit: & quasi prorsus Cælestis esset, nil terrenum limosumq; tolerare potuerat. Adhucnè Fonti Aquinatico justas coronas denegabimus? Si in hac etiam arena, fæcūdam illi lauruum messem assurgere videmus. Adeste Cælo Angeli adeste! & Fontem Aquinaticum simul nobiscum coronate. Dignus enim vestris coronis est, qui pro vobis pugnavit, velutq; Absamea Aqua, ignibus sese contra ignes inferni opposuerat. Ergo vel lilijs ipsum cingite, ardoremq; ejus perflate; ut qui hactenus more Epyri excanduerat, tantisper ad naturam suam accedat. Non sic tamen illum stringite, quin se in publicum commodum, vel saltim per fenestram diffundat Advertite Auditores quali scatebrâ è Cælo donati sumus! ac si ad Probaticam piscinam, Angeli Motores ad eam descendunt, ut sanent quemlibet, quisquis vel ultimus etiam, operā ejus imploraverit. Quisquis curâ tui indiges, errorumq; lepra laboras, lavare vel semel in hoc Jordane, & videbis, quod primam sanitatem mens tua recipiet. Ast quousq; Aquinas Divinissime, hîc immoraberis? quousq; publico commodo Te non diffundes? si Fons es? more Fontium, salire etiam de monte debes. Si Aquæ limpidissimæ imitaris naturam? facilè qualibet rimâ, quinimo & fenestrâ elabi potes. Jam hyems transijt; gelu rigidius recessit; imò & Æoli turbo remisit, qui tuā scatebram constringeret, imber lachrymarum violentus cessavit, qui tuas lymphas interturbaret; ergo jam commodè elabaris. Si Sorores expectas? jam eas nativis lymphis emollijsti, quibus & lapidis duritiem facilè guttatim excavares. Si Coronas præstolaris? jam non sine Corona es. Hanc Tibi & ipsum Cælum demisit, dum Te per Angelos præcinxit. Nihilominus plures Te adhuc manent laureæ, tantumodo ad usum comunē elabaris. Elabere, elabere, Fontisq; pro more sali; en totus Orbis siti Tui laborat; Tota terra in defectu tui arescit! Sterilescunt arenæ quas non alluis; langvescunt serta quæ non fæcundas; exsiccantur Hippocrenes, quos non adimples; arescunt calami, quos non humectas. Laurus in defectu marescūt, Musæ langvent, Apollo sitit, palmæ in Cupressos degenerant, nec adsunt flores, ex quibus doctæ Coronæ innectantur, quousq; illos sudore tuo non irrigaveris. Verbo: omnis facies rerum, tristem vultum induit, suo fonte exuta; nec ridebunt prata, quousq; fletum illorum tuâ scatebrâ, non exterseris. Satiùs fleat Te amissum Mater, ut Palladis tellus rideat, facieq; novam induat. Ad devotum hoc suspirium, annuit Nativum in pectore Cælum; unde sitienti hactenus terræ, Aquinaticum demittit cum Fonte imbrem; idq; quasi è nube, quia fenestrâ cadit, ut repercussus aridâ, fusiùs publicum in commodum diffundi possit. Quòd haud non evenisse subsecutus effectus probat, postquam Nympha Aquinatica, de sublimi per fenestram prolapsa, sic se in distans dispersit, ut Neapolim, postea Romā, nativo

nativo vigore irrigârit. Unde venerat tûc planè Orbi ſerenior poſt nubila Phœlus, dum Sol Aquinaticus Orbi erudito illuxit, Fontemq; ſuum, Tiberi Petri, in Orbis Urbe ſociavit. Et juſtè equidem, cùm enim omnia fermè flumina à fontibus ſuas aquas deducant, Aquinaticus etiã THOMAS, Tiberi Petri eaſdem jungit, ut veriùs formâ fontis gauderet. Sed qualis fontis formâ gauderet? ex guſtu, votoq; Urbis conſtat. Nempe, vix primis labris Fontem hunc prægustavit Roma, tantum guſtum illius cæpit, ut niſi eum alijs etiam Orbis partibus diffundi opus fuiſſet, libenter eum apud ſe conſervaſſet. Hinc THOMAS Studiorum causâ, Lutetiam Pariſiorum deducitur, ut illa etiam Palladis tellus, lymphis illius fæcundaretur. Et certè, decuit candidum Juvenem Lilijs Pariſianis adſcribi, innatamque Fontis Noſtri Virtutem, candido Serto coronari: Ne non coronatus Ubiq; procederet, qui ubiq; Coronâ dignus erat. Eguit nimirum & illud Lilietum, Aquinaticâ Aquâ, quâ fieret florum minimè minus. Eguit Lutetia Pariſiorum ſuo Paride THOMâ; qui vel ſuo capite Palladem ei pareret, vel in Tritonia pallude viſam, limpidiſſimo Fonte, ac ſi balneo, ablueret. Ambivit Scientiarum Sedes, Hippocrenem Aquinaticum, ne, dum ſuo Parnaſſo Muſisq; gauderet, in Sapientiæ Fonte deficeret. Et certè, ſi Lutetia à luto dicitur, non aliâ quàm puriſſimâ limpidiſſimâq; Aquinatis Cryſtallo ablui debuerat, ut Univerſo eò magis placeret, quò pulchrior appareret. Quid mirum, ſi hæc Civitas Metropolis Doctorum, pupilla Scientiarum in Orbe, dici meretur? Sol Aquinaticus Lumen illi addidit, ne ad communes protunc Orbis errores cæcutiret. Nunquam enimverò ita clarè publicam lucem videre, aut mereri potuiſſet, niſi lutum errorum, ex ejus pupilla, lympha Aquinatica abſterſiſſet. Nunquam in laureas tam fertiliter refloruiſſet, niſi ſe Aquinaticus Nilus, ab illo tempore excoluiſſet, ac fæcundaſſet. Quantum verò illa gratam ſe Aquinatico Fonti exhibuerit, vel inde conſtat, quòd illum utraque Corona coronaverit: Plures indies eidem accumulando, cùm quotannis, Fontinalia ejus celebrare non prætermittat. Sed quid eſt Auditores quod Fontem Noſtrum in arena illa apertum, Bos aliquis mutus perturbat? Quis ita deſipuit? ut Fonti quoq; Sapientiæ, Bovem immittere præſumeret? An forſan Fontem hunc Bove immiſſo profanari poſſe putavit? vel hauſtu illius totam Scatebram abſorberi? Non abſorbebit non: nec illum profanabit; ſi boves etiam fontibus adaquari commodè poſſunt. Non talis enim Fons Aquinatis eſt, quin ſe in publicum commodum non diffundat, brutiſq; etiam uſualem non præſtet, ut vel inde intellectum capiant. Stultus tamen fuit, qui eundẽ Fonti Aquinatico intro injecit; cùm hoc animal bene etiam ab extra, adaquari valeret. Niſi forte tàm profundiſſimam Aquinatis Scatebram judicaſſet, ut non aliter, quàm injecto bove, eum adaquare valeret, quod tamen non modicam Noſtri Doctoris gloriam commendat. Minimè tamen puriſſimam Cryſtallum noſtram hoc facto perturbabit. Si enimverò non alia olim præterquam taurus Neptuno Sacra victima fuit: etiam Aquinatem Noſtrum Bos mutus non decebit. Quòd ſi ipſum mactavit mutumq; fecit? videbit quia illum Fons Aquinaticus, ad vitam ſuſcitabit, eritq; tempus quo in omnem terram ſonus ejus exibit. Neq; enim Scotuſiæ Fonte deterior Noſter Aquinas, qui etiam exanimata

anima-

animare cōſvevit. Si abſque prodigio ex bove quandoq; apes producuntur: cur non concedendum Aquinatico bovi, quod ex ore illius, & examen apum, & dulcis ſcatebra ſcaturire valeat. Altiſſima Flumina minimo ſono labi compertum eſt: non diſſimilem ſcatebram retuliſſe, credendus THOMAS, ex quo illa ſecutus eſt. Quanquam hoc etiam innatum fontes habeant, quod ita è terra ſaliant, ut nullatenus percipi poſſint; guttatim tamen procedendo, in fluvios Magnos excreſcūt. At verò quid miramini Fonti Noſtro immiſſum Bovem? totum potiùs ſtupetè Orbem, velut unicum Tantali pomum, illius lymphis innatantem. Fidem Superum! in quantum jam Hippocrene Aquinaticus excrevit Sapientiæ Flumen! Quas ille jam mundi non tangit partes! quas non alluit terras! in quas non influit Provincias! Nullus eſt Parnaſſus quem non alluat; nulla erudita arena, quam non fæcundet; nulla eſt laurus, quam non vegetet. Adlapſus eſt ad Pontificicum infulas. Delatus ad Principum Mitras, Regumq; diademata: nec ipſe inſuper Supremus Eccleſiæ Apex, aquarum ipſius expers, cum æquè Aquinatis Flumine, ac Tiberi PETRI Supremam Eccleſiæ Liburnam cenſeat vehendam; ibi portum Veritatis figendo quò illam Spiritus Aquinaticus, lymphaq; illius, impulerit. Et quid mirum quod tantum unus omnibus ſufficiat Aquinas? inexhauſtus namq; indeficiensq; in ſuo Fōte eſt. Hauriri poteſt, non exhauriri, ſorberi non abſorberi. Non timet ſibi FONS AQVINATicus, quod cum Foſite Bernenſi evenit, qui tribus nonniſi Menſibus Anni apparere notatus: quaſi toti Anno ſufficiens non eſſet. Aquinas enim Noſter, non tribus tantum menſibus, nec uni Anno, ſed toti Æternitati ſufficientiſſimus eſt. Nam quamvis Fontis nomine gaudeat, Abyſſus tamen immenſa, Voragoq, Sapientiæ eſt; in totum Orbem diffuſa, nec tamen in ſe diminuta; cùm æquè Aquinati facile ſit Orbem Univerſum ſuis fluctibus operire, ac unam guttam Oceano hauriri: tantumq; illi addit, qui cætera flumina Fonti Ejus comparat, ac ſi magno Fluviorum Parenti Oceano, unicam ſtillā aliquis injiceret. Hauriunt hunc FONTEM, à tot ſæculis, docta Oratorum ingenia, non exauriunt; ſorbent calamis non abſorbent; faciliùs puto cælum ipſum, docto calamo tangi ab illis poſſe, quàm profundum illius, Palladis haſtâ ſcrutari, quantumvis aliàs infinitè protenſâ. O Dij boni! quot hîc non abſorpta adverſorum ingenia! quot hîc non operti fidei hoſtes! quot non demerſi cum ſuis Curribus Equitibuſque ſuperbi Pharaones. Quisquis contra Eccleſiam inſurrexit, in Flumine Aquinatico cecidit. Quisquis Icarus contra Juſtitiæ Solem eniti voluit? in hoc Eridano pænas juſtas diluit; nec ampliùs jam volare poteſt, quantumvis ſibi ex cæris alas adaptaret; cùm præſto habeat Aquinaticum Solem, ad cujus ignes omnino diffluì debent. Operuit Bucerum, Lutherum, Calvinum, Arium, Gentiles, aliaque millena Erebi Monſtra; priùs illa in ſuo naufragio cadere faciens, antequam aſſurgerent. En unus illorum clamat Bucerus, tolle THOMAM, & diſſipabo Eccleſiam; & juſtè equidem: ſicut enim ſine alimento homo vivere nequit, ſic unico THOMÆ elemento Eccleſiam DEUS ſuſtentat. Totum diſſipari Orbem neceſſe eſſet, ſi vel unicum hoc Aquinatis elementum, ſupra quod SPIRITUS Sanctus, toties ferri viſus,

 quo-

quoties in Columbæ speciè, ad aures ejus loqui auditus, deficeret. Fonti Nostro debet hic Mundus, quòd mundus à mendis sit; Pridem enimverò tot erroribus exustus in cineres abijsset, nisi se ab hoc incendio AQVINAS liberasset. Turpis potiùs quàm mundus vocari debuisset, nisi se à tot sordibus velut lavacrum abluisset. Quòd fidem habeat apud Vos Aristoteles & cui, si non THOMÆ AQVINATICO debet? THOMAS eum ad fidem perduxit, Fonteq; suo, velut sacro lavacro baptizavit; & ut clariùs publicam lucem videre posset, oculos ejus cineribus errorum obrutos, absterſit, ac expurgavit. Exaruissent hactenus inter Scholasticos ardores, Theologorum calami, ni humore illius imbuti extitissent. Cimmerias inhabitassent obscuritatum tenebras, ni illas Sol Aquinaticus, ex luminis sui Fonte oriens, ab Orbe docto expunxisset. Fonti Nostro Sacra Palladis tellus humorem debet, quemcunq; habet. Ad coronam ei debetur, quæcumq; in hac humo laurus succrescit. Svavitatem verò & dulcedinem Fontis istius, quis sufficienter dilaudare poterit? qui ab Ubertate Domûs DEI progrediens, illuc dulcedine suæ doctrinæ pervenit,unde omne bonũ diffusũ est; illam suavitatem claritatemq; attigit, quæ ipsis etiam ANGELIS ad gustum venit; dignus propterea, quem ipsum æternum Verbum, vel tunc maximè quando in Cruce pendens Nostram salutem sitiebat, prægustaret, suosq; Passionis amarores leniret: BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. Ergo Trana trana, felicissime has Aquas, quisquis ad Insulas contendis fortunatas. Illibatum præliba Fontem, quisquis veram Sapientiam sitis. Movente hoc Monocerote Aquinaticũ Fontem, nullum bibentibus timendum virus. Suspectumnè putabis Fontem quem ipse DEUS propinat. Potestnè aliqua contagione esse infectum? quod Verbum ipsum prælibat. Desipuisti ô insane Bucere desipuisti! si Fontem Aquinaticum libando reprobasti. Improbum esse non potest, quod ipsum Verbum approbat; Mortem propinare non debet, quod Vita, Salusq; omnium bibit. Insanus es, si sanitatem Fonti Nostro denegas; stultus, si Sapientiæ Fontem impugnas. Vultis scire ad quid hoc Fonte prægustato, totâ buccâ Bucerus roboat? viscera illius torsit. Hoc enim commune Aquinas, cum Vitæ Fonte habet, quòd bonis vitam, & malis mortem subministrat. O Fontem omnibus Fontibus præferendum! ipis cœlestibus Gratijs coronandum! Terrestris quidem es, ast nihil terrenum sapis, dum ipsius Verbi gustum provocas. Adhuc ne toti Orbi ad placitum non eris? Adhuc ne condignis gratijs obærataq; gratitudine non coronaberis? Ipsius Numinis palatum moves, & timendumnè quòd nostrum non moveas? Os Te Divinum gustat, & quæ Sapientia mundi, tam insipida erit, ut Te relicto Fonte Aquarum viventium, alibi sibi Cisternas quærat? Venite omnes qui laboratis & onerati estis, ecce Fons vitæ, qui reficiet vos. Venite, bibite absq; argento & absq; commutatione; en ipsum Verbum Aquinatẽ cõmendat, cunctisq; bibendum suadet. Præcaveo tamen, quisquis hunc Fontem bibis? non prius recedas, antequam eum corones; nisi fortè notam ingratitudinis potiùs incurrere velis, quàm ut morem Antiquitatis observes. Gustarunt hunc Fontem Summi Pontifices, & coronarunt. Gustavit Clemens Octavus, Innocentius Sextus, Paulus Quintus, Alexander

Septi-

Septimus; Urbanus Quintus, Pius Quartus, aliaque Suprema Eccleſiæ Capita; quantumque illi detulerint, vel ex Oraculis conſtat, quibus eum coronant. Quanquam ad gloriam Fontis Aquinatici id Unum ſuffeciſſet, quòd Urbanus prænominatus, ñ aliũde quã ex hoc FõteAquinatis, omnibus Sapientiã cenſeat hauriendãm, dum Univerſalem ejus Doctrinã probat. Unde ad Lugdunenſe Concilium ſedandum Aquinaticum THOMAM miſit, ut palam faceret, quantum utilis Orbi FONS ille eſſet, ex quo totus Senatus PATRUM, quotquot guttas, tot Sapientiæ Oracula hauriebat. Ultimatè Ipſe etiam DEUS Fontinalia celebrare viſus eſt THOMÆ. Quanta illi à Cælo in Coronam laurea ceſſit? ex illis Verbis conſtat: QVID VIS PRO LABORIBUS THOMA? Quid ad hæc THOMAS? NIL VOLO NISI TE. Quid putatis an non bene DEI pretium novit? qui Illum omnibus Coronis prælegit. Nempe in Uno ſibi oblato Serto, totum Cælorum exhauſit decus, dum ſuis Fontinalijs non qualiſcunque herba, vel laurus, ſed Ille FLOS Campi ceſſit, qui Unus omnium meritis, & quidem totâ æternitate ſufficit coronandis. Unde hac contentus Coronâ, Neapolitanam Tiaram, tam animosè reſpuit, quàm gloriosè promeruerat, hoc facto edocturus, non eſſe moris apud Romanos, Fontinalia in hiſce coronis celebrari. Nempe, onera quædam Honores ſunt; noluit Aquinas Fontem proprium Inſulâ tegi, qui voluit in patulo eum manere, ut apertum haberet, quiſquis eum haurire vellet. Utinam illum nec lapis quidem ſepulchralis deſuper contexiſſet; qui dum Foſſæ Novæ Aquinatem adegit, proh dolor! Fontem illius hactenus clauſit. Eheu Fata! ſiccinè felicitati humanæ infenſa extitiſtis, ut Fontem quoq; Sapientiæ, quo hactenus ſuſtentabamur eriperetis? Etiamnè Aquam gratis bibere denegabitis? ut quid illum lapide ſepulchrali clauſiſtis? Nimis mihi parcæ videmini ô Parcæ! dum Fontibus etiam largè Nos uti prohibetis. Unum quidem Aquinatem nobis eripuiſtis, ſed Omnium vitam ſufferre vultis, dum Fontem Vitæ, à quo Salus Noſtra dependet, tam gravi mole operuiſtis. Sed nolite Fata incuſare mortales, adhuc enim in toto FONS Noſter eſt; adhuc exundat; adhuc terram alluit; adhuc ex eo totus terrarum Orbis bibit, Terram quidem Foſſæ Novæ ſubijt, ſed more Fontium, hucuſque è terra ſalit. Nempe Fontem Aquinaticum etiam Æternitatis Corona concernebat. Lapis ille Fatorum, ſi illum tegit, tegit, ut protegeret, & conſervaret à fæce, ne quodlibet animal ex eo biberet, qui homines ſolos concernebat. Quantum hucuſq; ex hac Sapientiæ Scatebra & meus Carmelus bibat, vel ex Fontinalijs conſtat, quæ hodie vigore gratitudinis, in Honorem Ejus inſtituit. Parces tamen THOMA Diviniſſime, ſi illa ut voluit, condignè ad merita Tua abſolvere non potuerat. Nempe Prædo Hortorum, rigidus Boreas in cauſa eſt, quòd Te condignis Coronis non coronaverit. Venuſtiſſimos quidem Hortos tua Virtus meritaq; exhibent, tenuitas Oratoris fecit quòd hactenus modicos flores collegerit. Quidquid tamen in laudem Tuam ſparſit, totum id ad Coronidem Curſûs, in Coronam innectit, eâq; Tuum FONTEM coronat. Inclinat & Gentilitia ſua Sidera,

ad Tuum luminis FONTEM, illuc splendores concessos more fluminum reducendo, unde eosdem derivavit. Quidni enim & Sidera Carmeli Tuum FONTEM coronent? quem Sol investit. Modicum quidem id totum est, quidquid dedicat, verùm animum pondera. Sufficit, quòd insalutato suo Doctore, Musis suis valedicere noluerit. Dabis & Tu veniam Auditor Humanissime, quòd FONTEM Aquinaticum ampliùs Tibi non propinabo; Etenim morem Antiquitatis secutus, aquas hausi, FONTEM coronavi. Ergo jam FONS Iste, Signatus sit.

DIXI.